


Breuning

1758





I

O

W

V

U

T

S



PRIMAE LINEAE
IVRIS ECCLESIASTIC
VNIVERSALIS

IN
V S V M
A V D I T O R V M

A D O R N A T A E

A V T O R E

CHRISTIANO HENRICO BREVNIN
ICTO ET PROFESSORE PVBL. EXTRAORI
SOCIET. LITERAR. DVISVVRG. SOCIO.




P. 347.

1781

FRANCOEVRTI ET LIPSIAE.

**KENFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE**







PRAEFATIO.

LECTOR AEQVISSIME!

Primas iuris ecclesiastici vniuersalis lineas exhibeo, aequissimoque Tuo iudicio commendo. Sed ne aliter de me iudices, quam quantum est in veritate, necessarium videbitur, causam meam perorare. Docui iam aliquoties iuuentutem studiosam legumque cupidam iura ecclesiastica vniuersalia idque iis praecipueboris, quas Clementiae Augustae ob munere clementissime datae rationes debebam. Placebat ea scientia iis, qui audiendo docendi mihi accendebant studium, docendique et
A 2 dili-



diligentiam et curam sua frequenti industria augebant. Utilitas summa atque summa quae huic inest doctrinae suauitas me eo perduxit, ut in docenda tradendaque hac disciplina continuare mihi in animum induxerim. Equidem haecenus cuiusque audientis arbitrio committebam, an inter docendum proposita argumenta suae tantum memoriae committere, an scripturae commendare insuper vellet; Sed et difficilior docenti discendenti tunc fuit labor. Ea igitur, quae et inter docendum obseruaueram atque inter praeparandum legeram sedulo collegi. Multum mihi iuuerunt assidue per nouem annos et quod excurrit institutae lectiones iuris Canonico Pontificio Ecclesiastici. In hac enim disciplina haud raro examinanda veniunt iura ecclesiae vel in se, vel in nexu cum ciuitate. Quamuis vero haec doctrina solas illas Christianae religionis scholas Pontificiam atque utramque Protestantem Lutheranam ac reformatam diiudicet, tamen quam saepissime fit, ut ubi leges aut non adsint aut adesse nequeant, ad vniuersalia principia recurrendum, imo ut iis ipsis principiis utamur ad diiudicandas contrariarum scholarum opiniones.

Haec



Haec ergo principia vniuersalia duce aeterna naturae lege quatenus adplicatio fieri potest collegi iamque collectos typis mandauimus, non ea intentione, vt, qui sapientia excellentent, eos doceam, sed vt iuuentutem erudiam, iisque ad manus sit libellus, cuius ope auxiliouae diuinam hanc scientiam apprehendere facilius possent. Non erat ad manus alius huius disciplinae aptus ad hunc laborem academicum commentariolus. Equidem Clar. PVTTERVS cum suo comite Clar. ACHENWALL in Iuris Naturalis quod ediderunt compendio, hanc scientiam tractauerunt, sed admodum pro instituti ratione, quam non taxo, breuiter.

Quicquid vero alii Viri docti scripserunt, vt GROTIUS de Imperio Summarum potestatum circa Sacra. PVFENDORF de habitu religionis Christianae ad vitam ciuilem. NOOD de religione ab Imperio Iure Gentium libera. BOEHMERVS in Iure Publico Vniuersali et alii, vel non sufficere mihi videbatur, vel ad academicas praelectiones non accomodatum. Methodum mihi ipse formauimus arbitrarium, quippe in docendo quemlibet liberum habere



oportet iudicium, qua via quae methodo arbitretur animis audientium facilius artem imprimi posse. Ita vero singulas causas exposui, ut non ad unam alteramue ecclesiam accommodata exhibeam, sed quod sit omnis ecclesiae ius, ni vel dolose vel ex errore ad deuias se deflecti patiatur aliqua societas. Nunquam ergo aduersariarum dissentientiumque adduxi altercationes atque rixas, sed vno tramide, quid iuris sit, aperui. Quae vero fidei forsitan causae erant, haec nec huius disciplinae, quae omnibus ecclesiis communis, imo diuinorum oraculorum antistitibus sapientioribus relinquenda. Nihil admiscui, quod non proprie ad hanc doctrinam pertinere videbatur, neque si Protestantium schola in vno altero-ue recedat, haec nostra taxandi eam argumentum praebeant, quippe si salus ecclesiae exigat, vel Omnipotens fidei religionisque autor CHRISTVS aliter quidquam ordinauerit, quod vix continget, a principiis vniuersalibus tunc recedi posse, dubium nemini videbitur. Et ita quoque comparatum est cum legibus ciuilibus, quae interdum ob necessitatis vel utilitatis rationem a naturae legibus abeunt. Nil dico de huius
scien-



scientiae praestantia, utilitateque. Quid
sapientius naturae legibus, a sapientia di-
uina datis, quas applicatas exhibet Ius ec-
clesiasticum vniuersale. Quid praestantius
argumento in quo occupatum est hocce ius.
Videlicet Symbola cultus diuini, qui prima-
riam obligationum omnium humanarum ab-
soluit, diiudicat. Societatibus, quibus non
sufficit interne satisfacere obsequio reue-
rentiae atque gratitudinis, obligationibus
aeterno numini felicitatis suarum creatura-
rum ad suam imaginem efformatarum sta-
tori sapientissimo debitis, sed qui hos affe-
ctus per externa deuotissima ratione indi-
care pacti sunt, iura reddit earumque di-
uersas obligationes firmat. Breuis eram,
in scribendo, neque prius leges ex naturae
iure petitas atque applicatas praemisi, sed
primas lineas scribebam, imo scribebam eo
tempore, quod ab assiduis laboribus defati-
gato ad recreandum datum erat. Et quae
felicior recreatio, quam quae in causis co-
gnoscendis diiudicandisque earum societa-
tum versatur, quarum est finis adorare
DEVM. Tui ergo L. B. erit iudicii,
an recte egerim ex animi mei inten-
tione, computata simul laborum meorum
A 4 ratione.



ratione. *Vtere si placet; ego vero alla-*
borabo, ut aliquando, si DEVS ita iu-
beat, atque si labores permittant, id in
latiori exhibeam, quod κατ' ἐπιτομήν ex-
secutus fui. Si minus recte iudicauero,
nil enim ab homine perfectum absolutum-
que potest expectari, corrige ex Tua ae-
quitate, eos enim recuso iudices tan-
quam suspectos et ita iubet lex, qui
partium studio vel inuidia ducti iudi-
cant, indignos quos fert tellus. Faue
itaque saltem conatui et sic Vale. Dabam
Lipsiae Nundinis post Festum Michaelis
Anno cIo IocC LVIII.



PROLE-



PROLEGOMENA.

§. 1.



Ius Naturale cum obliget ex Dei voluntate homines quatenus sunt *morales*, non est dubium, quin obliget non tantum in *primaevuo* aequalitatis statu, verum etiam in quocunque alio statu *hypothetico* maneat actionum moralium norma quatenus conveniat cum fine cuiusvis hypothetici status.

§. 2.

Sicut vero homo moralis praeter aequalitatis illum primaevuum statum potest amplius considerari vel in statu *collegiali*, vel quem suppediat vinculum intercedens in ciuitate inter *ciues solos*, vel inter ciues cum *maiestate*, vel in statu *ecclesiastico*, ita praecipue quadruplex potissimum naturalis iuris concipitur applicatio, vnde ortum ius *collegiale*, *ciuile vniuersale*, *publicum vniuersale*, *ecclesiasticum vniuersale*.



§. 3.

Ars interpretandi leges applicandiue ad facti species obuientēs dicitur *iurisprudentia*, quae itaque si solo naturali iure occupata est, dicitur *iurisprudentia naturalis*, si vero applices supra dicta quatruplici ratione, habebis *iurisprudentiam collegialem*, *iuris ciuiliſ vniuerſaliſ*, *iuris publici vniuerſaliſ* atque demum *iuris eccleſiaſtici vniuerſaliſ*.

§. 4.

At vero eccleſia cum in ſe ſpectetur tantum, vel in nexu cum republica, in qua tolerantia fru- ritur, vel in nexu cum aliis gentibus vel collegiis, hinc Ictus in cauſis eccleſiaſtici iuris vniuerſaliſ decidendis cautus eſſe debet, ne triplicem illam diſtinctionem negligat.

§. 5.

Ius vero eccleſiaſticum vniuerſale inde dicitur, quod eas continet leges, quae in omni eccleſia, qualis ea ſit, nullo reſpectu habito certae al- cuius Scholae vel Societatiſ eccleſiaſticae, cauſa- rum normam determinant. Quapropter, quoties ſpecialiſ lex in vna alteraue eccleſiaſtica Societate non adeſt, toties applicatur *Ius eccleſiaſticum vniuerſale*, quod praeterea rationem *iuriſpru- dentiae nomotheticae eccleſiaſticae* ſimul in ſe habet.

§. 6.

Sicut ergo fons huius *Iuriſ eccleſiaſtici vni- uerſaliſ* eſt *Ius naturae immutabile*, ita non eſt dubium,




dubium, quin et Ius Eccles. Vniuers. sit *immu-*
tabile, quamquam ob rationem singularem ma-
iestas in republica ecclesiae Leges dando ab eo-
dem interdum Iure recedat.

* Ius naturae in genere *fontem* diximus Iuris ec-
clesiastici, non *ius collegiale* tantum, quippe
ecclesia ob collisionem causarum conscientiae
in quibusdam thematibus non solo iure colle-
giali considerari potest.

§. 7.

Vt in tractando hoc iure seruetur ordo, hunc
mihi finxi tractandi modum, vt prius ecclesiae
notionem exhibeamus, indeque iura totius So-
cieratis ecclesiasticae in se spectatae singulorumue
membrorum concipiamus, post haec de nexu
ecclesiae cum republica ecclesiaeque obligationi-
bus atque de iuribus principis in ecclesiam, princi-
pisque obligationibus ecclesiae praestandis, dein
de causis, quae nec ecclesiae nec principis arbitrio
subiectae sunt. Tandem de Iuribus ecclesiae re-
spectu aliarum vel ciuitatum vel collegiorum.
Denique de morte ecclesiae et exinde deducendis
iuribus.





CAP. I.

DE

NOTIONE ECCLESIAE.

§. 1.

Societas est conuentio plurium hominum de obtinendo fine aliquo consensu constituto inita. Erit itaque *ecclesia* societas hominum colendi numinis causa inita.

§. 2.

Finis, ad quem prima causa obligationis ex theologia naturali petenda, positus in *cultu diuino*, differentiam statuit ecclesiae a reliquis collegiis; simulque causam habet, cur in hac doctrina non semper ad solius collegii ideam recte reduci possit societas ecclesiae, cum finis obtinendi modus non semper a *pacto* pendeat, sed saepius *conscientiae* ratio habenda sit.

Non excludimus *reuellatam theologiam*, sed cum versetur in scientia philosophica, eaque vniuersali doctrina, in qua cognoscendi desunt axiomata manifestatae diuinae voluntatis, quae ex sacris vnice literis cognoscitur, imo cum nec omnes ecclesiae ea fruuntur felicitate, vt reuellata Dei expressa voluntate ordinentur, hinc *theologiam naturalem* omni humanae cognitioni insitam aduocauimus.

§. 3.

Nollem ergo BOEHMERVM in *Iur. Publ. Vniuers. L. II. Cap. V.* sequi, qui finem in
acqui-



acquirenda salute aeterna posuit. Vix enim, quod a Numine ex sola gratia conceditur, pacti finis erit. Et dato hoc, esse ecclesias, qui hunc finem sibi statuerint, magis tamen ex erronea horum sententia non pro fine, sed pro eo, quod ex fine obtento consequimur, reputabitur.

§. 5.

Alius vero erit cultus numinis aeterni *internus*, qui ex sola pendet conscientia, alius *externus*, hinc ecclesia alia erit *interna*, alia *externa*. Illa huius disciplinae obiectum non est, cum in eo vix deprehenditur idea societatis, nisi quod cum omnibus hominibus ea innata sit colendi Dei obligatio et animi consensus et notio de summo Numine, societatem improprie dicas hunc cogitationum consensum. *Obiectum* ergo nostri Iuris sola erit *ecclesia externa*.

§. 5.

Ecclesia externu itaque est societas ad eum finem inita, vt per externa Symbola cultum diuinum communiter instituat. Cum vero sit societas, necesse est nitatur *consensu* vel *expresso* vel *tacito*. Adsit ergo pactum inter membra ecclesiae, quod obiectum habet cultum externum diuinum, quod pactum ex dogmatibus cuiusuis ecclesiae interpretandum.

* Equidem videri posset pactitia illa obligatio figmentum, cum magis aequalitas idearum de DEO eique exhibendarum obligationum causam continere posset externi cultus. Sed salua res est. Vix enim fuit ecclesia, quae non aliquem,



quem solennem ritum receptionis inter membra habuerit, siue sit introductus ex Diuinae voluntatis decreto, vt quondam inter Iudaeos circumcisio, iam inter Christianos baptismus, siue ex erroribus improbis, vt inter Muhame- tanos iridem circumcisio, inter gentiles vero interdum sacrificia, interdum alia. Dein cum ecclesia occupata sit externis signis, internus consensus ad externa illa et plerumque arbitra- ria non inuoluit obligationem, magis pacto obligationis causa tribuenda.

§. 6.

Cum vero externus cultus fiat per *Symbola*, haec vero interna animi cogitata prodant, sequi- tur pactum ecclesiae de iis tantum concipi posse, quae sub libero paciscentium arbitrio sint posita, neuiquam de iis, quae a sola conscientia pen- deant.

§. 7.

Modus colendi Deum dicitur *religio*, quae vel *externa* vel *interna* est. Haec in internis animi motibus gratitudinis, obsequii, reueren- tiae, pietatis et amoris erga Summum Numen consistit, sicque a sola conscientia pender, inde- que obiectum pacti esse nequit. *Illa* vero Sym- bolis tantum absoluitur, Symbola autem ab ar- bitrio pendent, hinc vtique circa religionem ex- ternam recte paciscimur.

§. 8.

Est vero obligatorium hocce pactum, cum eo non laedantur leges iustitiae naturalis, hinc concipi potest ecclesia inter *homines in statu na- turali*



turali positos, quibus prohibitum non est inire Societates, quarum finis, non laedit leges iustitiae, maxime cum in homine in naturali statu existente sit obligatio colendi DEVM, quae sit obiectum ecclesiae per externa signa.

§. 9.

Erroneum itaque erit, si statuamus ecclesiam esse partem essentialem *reipublicae*, vt ergo *republicam* concipere queamus sine *ecclesia* et *ecclesiam* sine *ciuitate*.

§. 10.

Cum et *republica* et *ecclesia* separatim concipi possint, sequitur *receptionem ecclesiae* in *republica* non esse absolutae necessitatis.

§. 11.

Ecclesia externa cum nitatur consensu pacto firmato, hinc de iis tantum inita, quae *possibilia* sunt vel physice vel moraliter, quatenus cum sine *ecclesiae* conueniebant.

§. 12.

Symbole ergo, quae vel contraria sunt interna cognitioni de Deo ad moraliter *impossibilia* referuntur, hinc ad ea tanquam ad *impossibilia* non datur obligatio.

§. 13.

Ad ea itaque, quae *conscientiae* sunt contraria, cum sint *impossibilia*, nec de iis pactum valeat, nunquam datur coactionis ius. *Respuit* ergo *conscientia imperium*.

§. 14.



§. 14.

Cum ecclesiae *finis* sit externus Dei cultus nunquam ecclesia dici potest *respublica*, cuius finis est communis defensio et pacis externae cultus sub *communi imperio*. Quae vero vniones diuersos habent fines, non possunt esse eadem.



C A P. II.

D E

I V R I B V S E C C L E S I A E I N S E
S P E C T A T A E.

§. 15.

Supra (§. 9.) statuimus, concipi posse ecclesiam extra rempublicam, h. e. nullo ad rempublicam respectu habito, sequitur sua Ecclesiam sibi propria habere iura, quorum quaedam deducuntur ex applicatione *naturalium iurium conuatorum*, quaedam *acquistorum*.

§. 16.

Cum ex primo moralitatis axiome homo reneatur ad suam *conseruationem*; Sequitur, semel inita Societate ecclesiastica simul oriri obligationem ad conseruationem societatis, quae conseruatio hypothetice necessaria est, quousque scilicet ecclesia seu corpus illud mysticum, mortem non patitur.

§. 17.



§. 17.

Concludimus inde applicato primo Iuris Naturalis Axiomate, ecclesiam obligatam: *ne quem turbet in pace externa*, indeque ius perfectum competere ecclesiae ne turberur in pace sua externa vel si maius iure perfecto ab alio.

§. 18.

Cum ecclesia iure gaudeat perfecto, ne a quo turberur in suo iure perfecto, sequitur, si turberur, recte ecclesiae quoque competere *ius defensionis* sicque *ius belli*; quapropter quod ex ipso naturae iure applicato iam ecclesiae competit ius, id caue deducas ex ficto quodam defensionis pacto inter membra Societatis inito.

§. 19.

Cum *defensionis ius* competat ecclesiae, male inde deducas ideam *reipublicae*.

§. 20.

An vero ecclesia possit inire *pactum maiestaticum*? negandum arbitror, quippe finis ecclesiae diuersus a fine, propter quem maiestas constituitur.

§. 21.

Quamuis vero ecclesia non possit inire *pactum maiestaticum*, tamen cum necessitas videatur inuoluere ordinem in externo cultu seruandum, non repugnat curam ordinis seruandi in aliquem pacto vel expresso vel tacito transferre. Caue

B

vero



vero ne ex ficto aliquo pacto iura maiestatica circa sacra deducas. Posse enim pacisci non inuoluit pactam esse ecclesiam.

§. 22.

Disputant, *quatenus imperio subesse possit ecclesia.* Internam subesse negant fere omnes, qui non plane desipiunt, *externam* vero subesse posse, non desunt, qui adfirmant. At cum symbola illa, quibus cultus externus peragitur, a conscientia pendeant, nihil certius est, quam ecclesiam etiam externam liberam esse ab omni imperio.

* Ex hoc vero nollem neges maiestati ius in Sacra, si ecclesiam consideres in nexu cum republica: Sunt enim tunc ciues iidem, qui et membra ecclesiae. Rem accuratius infra.

§. 23.

Quare ergo cum ecclesia sit *expers imperii*, sequitur membra inter se *iure* gaudere *aequali*: quapropter nihil in ecclesia ordinari potest, nisi vnanimi consensu eoque libero. Fac ergo velle ecclesiam inire subiectionis Ius, (quamuis id cogitari nequeat), fac vnum dissentire, qui est membrum ecclesiae; certum est neque ad consentiendum eundem cogi posse, multo minus ex ecclesiastica societate pelli, quippe suo vitur iure.

§. 24.

Sit ergo! paciscatur ecclesia vnanimis *de subiectione* alterius imperio, cum expers sit, imperii sua natura conscientia, externa vero ecclesia si-
mul



mul pendeat a conscientia, recte inferas, eo pacto nihil agi, necquidquam alterum iuris in ecclesiam nancisci.

§. 25.

Cum ecclesia sit societas, ea vero consensu nitatur, consequitur, eos demum posse societatis ecclesiasticae membra fieri, qui se obligare possunt consentiendo; At, cum finis ecclesiae in eo consistit, ut per signa externa colatur Deus, consequens est, ut is possit esse membrum, qui per conscientiam ad signa ea et ordinem se obligare potest.

§. 26.

Inferas ergo recte, neminem cogi posse, ut fiat ecclesiae membrum, quum societas consensu firmata requirat in paciscentibus *consensum liberum*.

§. 27.

Inducas quoque, cum in infante, furioso, mente capto, ebrio ac mortuo adesse nequeat consensus, hos omnes non posse recipi inter membra ecclesiae.

* Neque tamen taxes *παίδωβαρτισμον* Seculo III. nec perfecte receptum teste PERTSCH. *Hist. Eccl. Sec. III.* Cum enim non repugnet voluntati sanctissimi Christianorum religionis Conditoris, potuit ecclesia tolerare et toleravit recte, maxime cum Sacramentum confirmationis eucharisticum suppleat externum consensum, posito interim eo, quod non perfectus fuerit in Sacramento initiationis.



§. 28.

Quia vero omnes illi membra fieri possunt, qui possunt consentire, seu qui per intellectum possunt determinare voluntatem, recte et *feminae* membra esse possunt societatis ecclesiasticae. At cum omnia membrorum iura sint aequalia, utriusque femina per se munerum ecclesiasticorum capax esse videtur, nisi lex ecclesiae fundamentalis easdem excludat. Sic recte arcentur in ecclesia Christiana feminae, neque iniustitia in eas committitur, cum excludantur a sacris ecclesiae muneribus, quippe cum consensu fiant membra, consentiunt simul in omnes actiones atque, ut ita dicam, leges fundamentales.

§. 29.

Neque vero ea, quae est in ecclesiastica societate membrorum aequalitas, permittit *subordinationem*, quamquam alia aliorum munera esse possint. Ergo *clericorum* quos vocant partes potiores haud sunt laicorum partibus. Quapropter, si quae est subordinatio, est ea civilis, nequam *ecclesiastica*.

§. 30.

Qui itaque semel factus est membrum ecclesiae suo consensu libero eoque perfecto, omnia simul consequitur huius Societatis iura perfecta.

§. 31.

An vero ab ecclesia *unilaterali dissensu* recedere liceat dubium videri posset, cum a pacto
omnis



omnis ducatur obligatio, quod tamen vnilateralis consensu dissolui non posset. At cum consensus ille regatur conscientia, conditionem vtrique in se habeat, necesse est, quousque videlicet conscientia permittat. Quapropter si cui appareat se salua conscientia amplius non consentire posse in symbola externa diuini cultus, recte liberimeque recedat ex ecclesiae societate, in qua fuit membrum.

§. 32.

Cum ecclesia nitatur pacto, pactum vero inire cum aliquo sit arbitrarium, recte inferas, sicut nemo cogi potest, vt fiat societatis ecclesiasticae membrum, ita neque ecclesiam cogi posse, vt eum recipiat, qui recipi cupit.

* Nititur hac lege ea in ciuitate interdum recepta consuetudo, vt Iudaei non nisi consensu consistorii recipi possint, de qua testatur EN-GAV. *Elem. Iur. Canon. Pontif. Eccl. L. I. §. 311.*

§. 33.

In societate iuris est, vt ii, qui membra sunt societatis, possint conuenire, de rebus ad societatem pertinentibus deliberare atque statuta condere: hinc quoque non tantum ecclesiae membra possunt *conuenire* ad obtinendum societatis suae finem in communi cultu diuino externo positum, verum etiam possunt in synodis suis *deliberare* de rebus ad ecclesiam pertinentibus, imo *statuta condere*, modo nihil in iis contineatur, quod conscientiae coactionem continet.

B 3

§. 34.



§. 34.

Conuentus eos, quos instituit ecclesia, vt de-
 liberet de rebus ad ecclesiam spectantibus atque
 vt Canones seu statuta condant, audiunt interdum
Concilia et *Synodi*. Cum vero omnia membra
 sint aequalia, omnia quoque membra ecclesiae in
 iis interesse possunt, neque excludi populus de-
 bet a sacerdotibus, nisi conuentione aliter deter-
 minatum, quo tamen facto conclusa Concilii ob-
 ligant salua cuiusuis membri conscientiae libertate.

§. 35.

Quodsi vero vnanimi consensu per pacta con-
 diderit ecclesia statuta, quod de rebus a consci-
 entia non pendentibus fieri debuit, singula tunc
 ex suo consensu quoque tenentur, ecclesiae
 membra.

§. 36.

Vbi autem ecclesia est societas aequalis, ex-
 tra nexum cum republica nunquam datur *consue-
 tudo ecclesiastica*, quippe haec ex tacito maiesta-
 tis consensu existit, quam maiestatem ignorat ec-
 clesia in se spectata; concipi vero potest tacitum
 pactum, aequae ac expressum in ecclesia obligans,
 nisi repugnet conscientia.

* Simulac vero ecclesiam consideres in republi-
 ca, non est dubium, quin posset ecclesiastica
 sic dicta existere consuetudo, quae vero eandem
 cum legibus sic dictis ecclesiasticis habeat
 causam, de quibus infra.

§. 37.



§. 37.

Observantia cum occupata sit in re meri arbitrii, quamvis adsint conformes actus, iique non interrupti, nisi intercedat taciti pacti natura, quod fit, si observantiae contrarios actus improbaerint singula ecclesiae membra, destituitur fundamento obligationis.

§. 38.

Solet fieri, imo est ex necessitate, ut ecclesia consistat docentibus et discantibus, vel dicas *doctoribus* et *auditoribus*, vel clericis et laicis, id interim sint synonyma, sequitur, cum aequalitatem agnoscat ecclesia, iura omnium esse aequalia: Sic nec clericis competere ius proprium ordinandi statuta, imperandi laicis, cogendi conscientias, nec iura maioritatis et obedientiae absolutae a laicis exigendi, multo minus ex legibus iusti *reuerentiam* exigere. Haec enim praestatur ex praeceptis honestatis, non ex iustitiae legibus.

§. 39.

Aequalitas, qua fruitur ecclesia, causa est, ut nemo a muneribus excludi possit, qui est membrum ecclesiae, nisi *inhabilis* sit ad munus recte administrandum.

- * Neque vero hoc eo extendendum arbitror, ut iure perfecto quilibet gaudeat iure docendi, quamvis nemo eidem calceandos committat pedes, ut in ea sit schola Christianorum in qua post extases, dicunt inspirationes, docet quisquis suo ducitur ex plebe spiritu, ab omni alias diuinarum rerum peritia alienissimus. De habilitate ergo tunc iudicamus, si quem communi consensu eligimus. Confer supra §. 27.



§. 40.

Cum nemo per se a munere in ecclesia excludi possit, qui est habilis, nemo etiam suo iure statim accedat, nisi ad illud subeundum communi consensu omnium electus, quale quid observavit primitiva ecclesia Christiana. v. BÖEHMERVS de iustitia vocationis factae ad clamorem populi. Diff.

§. 41.

Potest ecclesia statuta consensu suo condere, potest quoque conventionem suam poenas determinare *conventionales*, ad quas praestandas dein quodlibet membrum societatis statuta violans obligatur, qua praestita manet societatis membrum. Est enim ea conventionalis poena nil, nisi determinatio satisfactionis aliquando exigendae, si violatio quaedam, circa quam determinatio facta, obuenerit. Quod si vero vel eam conventionalem poenam praestare nolit, vel nulla poena conventionalis determinata sit, tunc fit hostis ecclesiae, cessat esse ecclesiae membrum amissis iuribus suis perfectis in ecclesia, atque ea demum in eum licita sunt, quae alias Iure Naturali contra hostem licite committi possunt.

§. 42.

Nunquam ergo violator statutorum, si in ea non consensit, hostis fiet, quippe a consensu pendet obligatio, eo non antecedente, non erit violatio. Si autem consenserit in statuta et contra ea agerit, puniri nequit. Poena enim pendet
a maie-



a maiestate, ab hac libera est per se ecclesia, imo nec inter eos, qui sunt aequales, idea poenae sibi locum vindicat. Haec sic, si ecclesiam spectes extra nexum cum republica.

§. 43.

An vero per *plurima vota* ab ecclesia aliquid statui possit, valde dubito. Cum enim aequalia sint omnia membra, consentientia obligentur necesse est. Si ergo per maiora vota statueretur quid, haberes dissentientes, qui ex aliorum consensu ob aequalitatem non possunt obligari. Quidquid ergo sit obligatorium, sanciat *vnanimi consensu*, nisi pactum adsit, ut *plurima vota* obligent de rebus, de quibus in ecclesia pacisci potest.

§. 44.

At difficultatem parit quaestio: *an quis, qui membrum sit ecclesiae, possit dissentire circa statutum aliquod condendum?* Affirmandum mihi videtur, quippe ex Iure Naturae liberrimus ad pacta requiratur consensus, ut nemo ad paciscendum cogi possit, ita nec permittet ea, quae est in ecclesia, aequalitas, ut quis cogi possit ad consentiendum. Sua ergo cuius libera est animi sententia.

§. 45.

Fac vero *centum socios ecclesiae consentire circa statutum, centum dissentire*: an consentientes ii teneantur. Neque hoc arbitror, quippe *vnanimis* requiritur in societate membrorum



consensus; nisi ii consentientes pacti fuerint, vt, de quo consenserint, eos obliget, licet reliqui dissenserint. Obligabit tunc vi pacti particularis, non vi statuti.

§. 46.

Cum ecclesiae vnus sit finis, nempe cultus diuinus, sequitur ratione finis, vnam tantum esse ecclesiam. At vero cum variae notiones de Deo diuersique colendi modi possint esse, concipi possunt diuersae ecclesiae aut scholae vel sectae, quae diuersas constituunt ecclesias. Hinc *ratione notionum de Deo* diuersae sunt ecclesiae, alia Christiana, alia Iudaica, alia Mahumetana, alia Gentilis. *Ratione modi cultus diuini* quaelibet ecclesia suas habet alias ecclesias. Sic in Christiana alia est Pontificia, alia Lutherana, alia Reformata, alia Graeca. Sic Mahumetana alia est Turcarum alia Persarum, et sic in aliis. *Ratione loci*, alia ecclesia, quae in regno est, alia est prouincialis, alia localis.

§. 47.

Ignoramus caeterum in hac tractatione ideas *ecclesiae orthodoxae*, nisi hanc orthodoxam dicamus, cui nos adstipulamur. Cum ergo omnes ecclesiae vnum eundemque finem habeant, cultum videlicet diuinum, omnes in se spectatae sunt *orthodoxae*, nulla *haeterodoxa*. Si ergo disceptandum de Orthodoxia ecclesiae, prius orthodoxiae idea statuenda, quae interdum pendet a republica.

* Secus ergo iudicandum, si agant Theologi Nostrae ecclesiae de orthodoxia Christiana.

§. 48.



§. 48.

Possunt vero plures ecclesiae inter se de orthodoxia pacisci, si hanc des ideam pacto, ut vna alteram orthodoxam habeat, quod pactum cum non impingat in Leges Naturae utique est obligatorium.

* Rectius vero haec quaestio in nexu ecclesiae cum republica deciditur.

§. 49.

Pacisci potest de quacunque re licita: infero, praeter finem illum ecclesiae primum, recte pacisci posse ecclesiam etiam de aliis rebus licitis, modo non contrarientur fini semel in ecclesia statuto.

§. 50.

Potest ergo se quoque aliis vel singulis hominibus non membris vel aliis societatibus valide pactis obligare ecclesia, nisi pactum ineatur de re fini primario ecclesiae contraria, vel qua laederetur conscientiae libertas.

§. 51.

Ecclesia cum sit societas, cuius finis manet perpetuus, maxime cum deducatur ex interna obligatione Theologiae et naturalis et reuollatae, sequitur, ecclesiam per se *perpetuam* esse. i. e. eo usque durare, quo usque non patitur mortem. Hanc vero patiatur, si vel communi dissensu paciscentium vel expresso vel tacito dissoluatur societas ecclesiastica, vel si omnia ecclesiae membra moriantur, de qua morte infra.

§. 52.



§. 52.

Cum vero communi et vnanimi omnium membrorum consensu inita sit ecclesia, vnanimi quoque dissensu soluarur necesse est. Quare si duo adhuc supersint membra non dissentientia, durat ecclesia, et si reliqua membra ex conscientiae libertate recesserint ab ecclesia, iura huius ecclesiae persistunt in paucissimis iis superstitibus membris.

§. 53.

Cum singuli homines in Statu Naturali positi sua possunt habere bona propria, neque hoc repugnet ideae corporis mystici, poterit ecclesia quoque sua sibi habere *bona propria*.

§. 54.

Quaecunque vero acquirendi sunt modi alias legitimi, ii quoque ex applicato Iure naturali societati ecclesiasticae erunt legitimi; necessaria tamen semper erit a membris facta destinatio, vt sint communia bona ecclesiae.

§. 55.

Si ecclesia per pacta propria sibi constituit bona, videndum est, ad quem usum data sint illa bona. Quod si ergo ad certum aliquem usum data et constituta sunt, ad eundem quoque usum applicari debent. Quod si vero ad nullum certum usum determinatum data, ad singula membra eorum pertinet usus, ita tamen vt ratio finis ecclesiae habeatur.

§. 56.



§. 56.

Si ecclesia sua sibi habet bona propria, gaudet quoque iure iis bonis *utendi, abutendi, ea possidendi* atque alios ab eorum possessione et usu *excludendi*, imo ab his, qui sine iure ea bona detinent, *vindicandi*.

§. 57.

Quapropter cum iure hoc gaudeat perfecto, tunc circa sua bona ecclesia potest vel ab aliis non membris vel aliis societatibus vel etiam ab ipsis membris laedi. Quod si fiat, laedens, quisquis sit, ecclesiae fit hostis.

§. 58.

Cum sua habere possit ecclesia bona propria, consequens est, eandem quoque libere de iis *disponere* posse, sicque ea *alienare*, modo in alienandis bonis unanimia adsint ecclesiasticorum membrorum vota.

§. 59.

Si ergo ecclesia patiatur mortem, bona illa, quae ecclesiae erant, cessant esse communia societatis, hinc si supersint membra ecclesiae, ea utique aequaliter diuidenda, si vero nulla supersint ecclesiae membra, fiunt res nullius, sicque cedunt occupanti.

§. 60.

Obiectum ecclesiae, de quo pacta erant membra, est cultus diuinus externus. Is vero absoluitur ritibus, sequitur *ritus* eos determinandos quoque



quoque esse vnanimi membrorum consensu ob
aequalitatis iura.

§. 61.

Cum ritus et ceremoniae constitui debeant
communi et vnanimi sociorum ecclesiasticorum
consensu, eorum quoque vnanimi voluntatis de-
claratione abrogandi erunt.

§. 62.

Ritus sunt signa externa, quae exprimant ad-
implerionem obligationum internarum ex doctri-
na Theologiae Deo debitarum. Accommodati
ergo debent esse ritus internae religioni.

§. 63.

Quoties ergo ritus excogitentur, qui contra-
rii sunt obligationibus vel plane nihil indicent,
sicque vel inutiles vel secundum dogmata cuius-
uis religionis impii, ii nec vnanimi consensu in-
troduci possunt in ecclesia, nec ad eos dabitur
obligatio.

§. 64.

Si itaque contingat vt de *ritus* alicuius bo-
nitatis oriatur, vnanimis quidem consensus
membrorum ecclesiae litem decidat, saluo tamen
cuiuslibet conscientiae iure.

§. 65.

Secus vero si *conscientiae quaestio* decidenda
sit. Cum enim conscientia pendeat a conuictio-
ne, ideoque in eam nulli vnquam imperium
com-



competere possit, sicque nec ea in nostra potestate sit, membrorum consensu nunquam talis quaestio decidi potest.

§. 66.

Quodsi vero nihilominus conscientiae quaestio decidatur ab ipsa ecclesia in Synodo: (quale quid saepissime factum est a patribus ecclesiae primitivae Christianae) hoc si ad externa referas, eum habebit effectum, ut hoc quod decisum a singulis, qui volunt esse ecclesiae membra, profiteatur. Quod cum non inferat vim conscientiae, imo dissentientem non cogat ad plus quam ad professionem, imo liberum relinquat, si profiteri nolit, ut desinat esse membrum ecclesiae, in tantum defendi potest.

§. 67.

Symbola illa ecclesiastica seu ritus sunt accidentalia, quae adesse et abesse possunt, hinc non semper sequitur, prioribus ritibus abrogatis, nisi simul signatum abrogerur, si nova introducantur, ob id non desiisse eandem esse ecclesiam.

* Neque vero Sacramenta Christianae ecclesiae comprehendas sub symbolis accidentalibus. Haec enim non ab ecclesia introducta, sanctiora sunt, cum a Deo ipso instituta, nisi ritum utendi Sacramentis huc referas. Sic non peccavit ecclesia Christiana recentior, quae Symbolis eucharisticis stando fruitur, cum primitiva sedendo post agaperas caperet. Sic taxanda non est ecclesia nova quae adspargendo baptizat, cum antiqua baptizaret per immersionem.

§. 68.



§. 68.

Cessante vero ecclesia externa, non cessat obinde interna. Haec enim consensione in notione de Deo eique debitis obligationibus posita, nititur innatis obligationibus, illa vero pendet a pacto atque tantum occupata est Symbolis.

§. 69.

An Iure Ecclesiastico Vniuersali sint *haeretici* et *Schismatici*? quaestio est. *Haeticus* is dicitur qui a dogmatibus in ecclesia approbatis recedit aliter credendo. *Schismaticus* contra, qui recedit a disciplina in ecclesia ordinata. Cum vero credenda pendeant a conscientia ea vero sit extra fines ecclesiae externae, stricte si dixeris, non existent haeretici. At schismaticorum idea concipi potest, ea tamen limitatione: aut dissentiunt ex conscientiae causa a disciplina ecclesiae, hi recte schismatici dici nequeunt, aut dissentiunt dolose, quos vtrique schismaticos dicas, et cum pacitiae obligationi contrarientur, sunt turbatores pacis externae, sicque habentur ecclesiae hostes.

§. 70.

Cum omnia societatis iura ex applicato iure naturali diiudicentur, consequens est, vt omnium actionum ecclesiasticarum iustitia et iniustitia cognoscenda sit ex lege illa naturalis Iuris prima:
NOLI TURBARE PACEM EXTERNAM.

§. 71.



§. 71.

Quod membrum itaque agit contra finem ecclesiae, et sic contra primum ecclesiae pactum, vel quod agit contra statuta ecclesiae, si quae condita, illud membrum agit iniuste. Qui vero membrum non est, qui agit contra iura naturalia turbando ecclesiam in suo iure perfecto atque conseruatione, pace externa atque transgreditur iura ecclesiae acquisita ex pacto cum ea inito, ille pariter agit iniuste.

§. 72.

Contra ecclesia si quem alium turbat in suo iure perfecto conseruationis, pacis externae, aequalitatis, vel agit contra pacta, aequae illa agit iniuste.

§. 73.

Quod si vero quis non membrum turbat membrum singulare ecclesiae in suo iure perfecto, idque sit extra rempublicam, obinde non laesa est vniuersa ecclesia, sed laeso tunc competunt iura belli.

§. 74.

Quod si vero membrum laedat aliud, nec hoc ad ecclesiam spectat, sed et tunc eidem vindictae comperunt iura. Qui enim membrum sit ecclesiae, consentit quidem in ea, quae conseruunt finem ecclesiae, at non consensit ideo in ea, quibus tollitur aequalitatis et libertatis naturalis status, hinc propria defensio contra laedentem singulo membro licita quoque erit in iure ecclesiastico vniuersali.


C

§. 75.



§. 75.

Quod si vero membra ecclesiae viuunt in libertate naturali, eaque velint inire inter se pacta defensionis mutuae, aut adeo vnionis ciuilib, cum iis pactis non turbent ecclesiam, suo vtuntur iure, sed haec pacta non spectant ad ecclesiam, sic ex alio iure sc. naturali sunt diiudicanda.



C A P. III.

D E

NEXV ECCLESIAE CVM
R E P V B L I C A.

§. 76.

Cum ecclesia pacisci possit de rebus licitis, quaeque illius fini non sunt contrariae, poterit quoque pacisci cum republica. Mutuae ergo illae obligationes indeque prouenientia mutua iura perfecta inuoluunt *nexum ecclesiae cum republica*. Causa vero huius nexus simul quaerenda in hoc, quod eadem, quae ecclesiae membra, simul sint reipublicae ciues.

§. 77.

In hoc itaque nexu semper vel respiciendum erit ad iura et obligationes totius ecclesiae, vel ad collisionem obligationum singulorum ecclesiae membrorum simulque ciuium.

§. 78.



§. 78.

In deducendis iuribus ecclesiae in habitu ad rempublicam, semper vtraeque vniones et ciuilis et ecclesiastica *separatim* considerandae, quamuis iisdem membris constent. Cum enim *Ciuitas* sit societas inita communis pacis et securitatis obtinendae gratia sub communi imperio; *Ecclesia* vero societas constituta colendi numinis gratia, recte inferas rempublicam sine ecclesia et hanc sine republica considerari posse. (§. 9.)

§. 79.

Cum ecclesiae fini a conscientia pendenti contrarium sit imperium; nihil certius est, quam ecclesiam nunquam considerari posse in omni causa tanquam ciuitati subditam, vt forsan alia collegia in republica, sed tanquam *aequalem* sicque societatem *ab imperio omni liberam*. Equidem non nego, in republica posse maiestatem quaedam habere iura in ecclesiam; Sed sicut haec iura non deducenda ex imperio aliquo ab ecclesia constituto seculari maiestati, ita possiet concedi, ecclesiam pacto in quibusdam partibus sese subiicere reipublicae posse, si nempe ea concernat pactum, quibus non tollitur libertas conscientiae. De reliquis enim rebus licitis recte paciscitur ecclesia.

§. 80.

Peccant ergo grauiter qui iura reipublicae in ecclesiam deducunt *ex pacto subiectionis* ecclesiae cum republica inito. Qui enim tale pactum adfirmat, cum sit res facti, illius est, probare

bare, vnquam ecclesiam de subiectione pactam fuisse; quod vel inde impossibile, cum ob collisionem causarum conscientiae ne quidem libere pacisci posset ecclesia. Sed hi *pactum tolerantiae* latius iusto extendere et cum *pacto subiectionis* mihi confundere videntur.

§. 81.

Cum ecclesia neque de *subiectione*, neque de *causis conscientiae* pacisci possit, neque respublica ius aliquod in ecclesiam sibi capere poterit, quod vel inuoluit subiectionem vel causas conscientiae. Contra de quibuscunque rebus ecclesia valide pacisci potest, de iis quoque respublica ius habere potest. Falsum vero esset, si ita concluderes, de quibuscunque rebus ecclesia pacisci potest, de iis quoque pacta est cum republica.

§. 82.

Cum itaque pactum subiectionis probari nequeat; alia nexus inter rempublicam atque ecclesiam intercedentis quaerenda causa, quae vel a tolerantia pendet, qua fruitur ecclesia in republica, vel in hoc quaerenda, quod iidem ciues, qui sunt membra ecclesiae.

§. 83.

Non ergo confundendae sunt ciuium et membrorum ecclesiae et obligationes et iura. Inde est, vt singulus homo tunc triplici potissimum ratione considerandus sit. I. Quatenus est ciuis. II. Quatenus eidem adhuc supersunt
liber-

libertatis naturalis et aequalitatis status reliquiae:
quippe in iis, quae non concernunt finem rei-
publicae, adhuc fruitur naturalis libertatis iure,
et III. denique quatenus est membrum ecclesiae.

§. 84.

Et cum finis ecclesiae non repugnet fini ci-
uitatis, utique quoduis ecclesiae membrum por-
est absque laesione obligationum ecclesiae debita-
rum simul ciuis esse in ciuitate.

§. 85.

Cum vero idea reipublicae concipi possit
absque nexu ecclesiae, utique is, qui ecclesiae
membrum non est, ciuis tamen esse potest, nisi
pacta ciuitatis fundamentalia aliud sanciant.

§. 86.

Contra vero recte affirmari potest, posse
aliquem membrum esse ecclesiae in ciuitate, in
quo ne subditi quidem idea reperiat. Fac le-
gatum vel obsides in loco commorari simulque
externae se addicere ecclesiae, obinde non fiunt
ciues; Est enim ecclesia expers imperij.

§. 87.

Hinc inferas inde, quod quis fiat membrum
ecclesiae in ciuitate, cum sint separatae vniones
per se concipiendae, ideo non fieri ciuem.

§. 88.

At quod diuersa est ciuis, diuersa membri ec-
clesiae in eodem homine obligatio, fieri potest,



vt *collisio* oriatur inter diuersas haec obligationes, ita vt vna praeferenda sit alteri. Quapropter quaeritur, quae officia sint praeferenda? Distinguendum arbitror. Aut obligatio collidens pendet a conscientia, obligatio ecclesiae anteponenda ciuili, quippe in conscientiam non datur imperium, idque quod conscientiae contrarium ad moraliter impossibilia referendum. Quodsi vero collisio intercedens inter obligationes ecclesiae et reipublicae, quae non stringunt conscientiam, potior est obligatio ciuitatis.

§. 89.

Cum vero nexus intercedat inter ipsam ecclesiam et rempublicam, vt in collisione obligationum adeo ecclesia postponenda sit, nisi conscientiae libertas damnum pateretur, sequitur cum diuersi nihilominus maneat fines vtriusque societatis, ideo ecclesiam non abire in rempublicam.

§. 90.

Nexus vero ecclesiae dependet a *tolerantia*. Haec constituitur pacto, quo ciuitas conuenit cum ecclesia, vt ei in ciuitatis territorio liceat agere quidquid ad obtinendum finem ecclesiae necessarium videbitur. Neque ergo hoc pactum tolerantiae cum inter aequales societates vtrisque liberis ineatur, inuoluit subiectionem.

§. 91.

Cum liberum sit cuiuis, an pacisci velit nec ne, sequitur *pactum tolerantiae* pendere ab arbitrio



bitrio ciuitatis, an illud inire velit cum ecclesia
nec ne.

§. 92.

Cum qua ergo ecclesia pactum tolerantiae
non inuit respública, inter eam quoque cum re-
pública nec intercedunt iura nec obligationes.
Nollem vero inde deducas *ius* ciuitati competens
coactionis, quo quemuis qui adstipulatur eccle-
siae non toleratae, cogere possit, vt adsentiat
toleratae.

§. 93.

Cum pacisci sit plane liberum, atque tole-
rantiae concessio pendeat ab arbitrio ciuitatis,
potest quoque ea pluribus ecclesiis tolerantiam
concedere, nisi iam vna ecclesia de non toleran-
da altera pacta sit cum respública.

§. 94.

Cum vero licet intercedat nexus, ecclesia
tamen libera sit ab imperio, iura ciuitati com-
petentia ex iure pacis externae colendae veniunt.
Est ergo obligata ecclesia: NE TURBET PA-
CEM EXTERNAM CIVITATIS indeque ci-
uitati ius est, curare NE PER ECCLESIAM
LAEDATUR PAX EXTERNA CIVITATIS.

§. 95.

Cum hic de iustitia actionum atque de per-
fectis obligationibus sermo sit ecclesiae atque
reipublicae inuicem, *utile* vero sit extra limites
iustitiae atque ad *utile* nunquam detur perfecta
obli-



obligatio, recte consequimur, ecclesiam ad *utile* reipublicae promouendum nullo iure perfecto teneri, sed saltem eo respiciendum, *ne turbet rempublicam.*

§. 96.

Ecclesia vero in republica ex pacto tolerantiae suos libere instituit conuentus atque suscipit actiones ad finem tententes. At vero cum obligata sit perfecte, ne turbet rempublicam, inde enascitur certissimum reipublicae ius prospiciendi, ne per hos conuentus turberetur respublica.

§. 97.

Quod vero obligationes illae sunt reciprocae, ecclesiae quoque ius perfectum competit a republica exigendi obligationem perfectam, ne ecclesiasticos laedat conuentus. Quod si ergo Respublica post pactum tolerantiae, nisi praecesserit laesio ab ecclesia reipublicae illata, aliquid suscipit, quo turbentur conuentus ecclesiastici, oritur laesio, sicque respublica venit in statum hostis, quod utique iuris esse potest, cum ecclesia libera sit ab imperio, ut sic idea rebellis formari nequeat.

§. 98.

Cum in societate ecclesiastica cultus diuinus tanquam finis societatis peragi nequeat sine ordine, imo ecclesiae ius comperat conuentus ecclesiasticos instituendi atque de rebus ad ecclesiam illiusque ordinem pertinentibus statuendi, ciuitati vero ius comperat prospiciendi, ne per
eccle



ecclesiam turberetur, utique *statuta* ab ecclesia sancita in tantum approbatione egent, ne quid in iis sit, quo turbari possit respublica: Quantum vero in statutis nihil dispositum est, nisi, quod ad ipsam pertinet ecclesiam, cum expers sit imperii, quidquid statuerit, non eget confirmatione, sed sua natura vi pacti obligat.

§. 99.

Quandoquidem vero in statutis quid contineatur, quod tangat nexum ecclesiae cum republica: v. c. de immunitatibus certarum personarum, nunquam statutum illud obligatorium esse poterit, nisi prius confirmatum a ciuitate, quippe tunc concurrat idea ciuis.

§. 100.

Competit ecclesiae *synodos* habendi ius in ciuitate, idque obinde, quod tolerantia ei concessa. At cum Respublica in nexu cum ecclesia iure gaudeat perfecto cauendi, ne per ecclesiam turberetur respublica, maxime cum in iis, qui conueniunt, concurrat obligatio ciuium, recte ciuitas quoque delegare potest, qui dirigant synodos atque caueant, ne quid molliatur ecclesia contra rempublicam. En Iura Imperatorum, conuocandi quondam synodos oecumenicas. En causam cur in synodo oecumenica totius ecclesiae Christianae singulae quoque gentes Christianae suos delegare queant, qui videant, ne quid a Patribus ecclesiae nomine congregatis concludatur, quo cuiusuis gentis iura laedantur.



§. 101.

Tolerantia causa est nexus intercedentis intra ecclesiam et rempublicam. Eius vero concessio non est necessitatis, sed voluntatis. Hinc propria autoritate nulla sibi tolerantiae iura tribuere potest ecclesia; sed si quae est in ciuitate, sit illius consensu. At quid sentiendum de ecclesia legati. Cum enim *legati* maxime diuersae religionis ab ea, quae in ciuitate ad quam missi suam sibi constituunt *ecclesiam*, sicut ipsius legati sanctitas atque exemptio pendeat ab admissione, ita ab eadem quoque ius propriae sibi cum suis constituendae ecclesiae pender.

§. 102.

Quapropter gens, apud quam admissus est legatus, nihil iuris in legati ecclesiam praetendere potest, quippe inter hanc et gentem nullus intercedit nexus, cum in huius ecclesiae membris non concurrat idea subditi. Sibi ergo relinquenda illa ecclesia, quamuis maxime particularis. Cauere vero et tunc maiestas admittens legatum poterit, ne ecclesia legati turbet pacem ciuitatis, sicuti nec legato ipsi ius est agere contra pacem ciuitatis ad quam missus.

§. 103.

Cum vero tolerantia sit voluntatis, potest utique ciuitas lege fundamentali statuere, *ne quis iura ciuium obtinere queat, nisi sit toleratae ecclesiae membrum*. Equidem videtur conscientiae coactionem inferre talis lex; sed re accuratius per-



perspecta, utique coactio non est absoluta, potius ea lex pendet a conditione. Quodsi ergo conscientiae suae non conueniat religio s. ecclesia tolerata, recedere poterit libere atque a petenda ciuitatis communionem abstinere.

* Aliud si de *prudentiali Politica* disceptemus, suadendum, omni ecclesiae tolerantiam concedere.

§. 104.

Cum tolerantia sit voluntatis, pendeatque a pacto, pacto vero quaelibet *conditio possibilis non iniusta* et *modus* adiici potest, recte quoque ciuitas tolerantiae limites ponere modumque dare potest. Inde venit exercitium cultus diuini vel publicum vel priuatum, quod ex pacto tolerantiae diiudicandum.

§. 105.

Si ergo lex fundamentalis non adsit, quae neminem in ciuitatem admittat, nisi certae alicuius ecclesiae addictum, sequitur, *quemcunque*, qui se valide obligare potest ad Leges reipublicae fundamentales, eundem quoque posse *ciuem* recipi. Sunt enim separatae ideae ciuis atque membri ecclesiae, utraque sine altera recte cogitari potest.

§. 106.

Quodsi vero in ciuitate quis commoretur, qui non sit membrum toleratae ecclesiae, etiam si pactum adsit, ne alius quis quam toleratae ecclesiae membrum ciuis fiat, tamen si ex conscientiae



entiae causa dissentiat ab ecclesia tolerata, sicut ad consentiendum cogi, ita ob dissensum puniri nequit, *conscientia enim respuit imperium.*

§. 107.

Hinc quoque est, ut cuius, si ex tolerata quidem exeat ecclesia fiatque non toleratae membrum, obinde puniri nequeat; quapropter et Imperii leges beneficium *emigrationis* constituere. Vel enim Iure Eccles. Vniu. iuris est, ut si consentire nequeat, ipse recedat ex ciuitate, vel si tolerandum non censeat respública, exire iubeat, neutiquam releget. Solus enim *dissensus* in religione, nisi externa reipublicae turbatio accedat, non inuoluit delictum, est enim conscientia libera.

§. 108.

His perspectis sequitur stricto iure eum, qui desit esse membrum ecclesiae toleratae, obinde non statim desisse esse ciuem reipublicae.

§. 109.

Hinc quoque decidi poterit quaestio, *an in nexu ecclesiae cum Republica sint haeretici?* Haereticus hic non ille est, qui a veritate Christianae religionis reuellata deflectitur ad errores in fide, sed illum hereticum dixeris, qui non est toleratae ecclesiae membrum. Quapropter si non adest pactum in ciuitate, ne quis toleretur cuius, nisi sit toleratae ecclesiae membrum, heretici concipi non possunt, si vero tale existat pactum, recte concipiuntur. Inde quoque pendet quaestio, *an hereticus possit esse ciuis.*

§. 110.

§. 110.

Siue vero hereticum eum dixeris, qui non sit toleratae ecclesiae membrum, siue eum, qui a vera Christianae religionis fide aberret, cum nemini in conscientias hominum, excepto solo Deo, competit imperium, neutri delictum impu-
taueris. *Iniustissima* ergo est *in hereticos* insti-
tuta *inquisitio*.

§. 111.

Quodsi vero hereticus dogmata spargat, ex-
ternae paci ciuitatis noxia, aut ipsam pacem ciui-
tatis turbat, nihil obstat, quominus eum ciui-
tas puniat, sed tunc non punitur vt hereticus,
sed vt turbator pacis externae ciuitatis.

§. 112.

Quod si erga ecclesia tolerantia fruitur in re-
publica eaque illimitata, vtique sicut aliae socie-
tates et collegia licita poterit habere *propria bona*,
atque si habeat, quo ad bona habetur subdita.
Sicut vero ipsa tolerantia est voluntatis, ita et ci-
uitas in receptione ecclesiae eidem leges dare
poteft, an et quae bona habere possit, an vero
bonorum acquisitionem interdicare velit.

§. 113.

Cum bona sint reipublicae atque quoad bona
ecclesia fiat subdita, ad omnia ea tenerur, quae
bona concernunt, ad quae tenentur omnes ciues
intuitu bonorum: in reliquis vero libera manet
ab imperio.

§. 114.



§. 114.

Quia vero ecclesia intuitu bonorum ad omnia obligatur ad quae tenentur ciues, sequitur, bona ecclesiae iure proprio non esse *immunia ab imperio ciuili*, sed esse arbitrii ciuitatis, qualem quandamue bonis ecclesiasticis *immunitatem* concedere velit.

§. 115.

At si semel concessa sit immunitas bonis ecclesiasticis, non nisi necessitate urgente a ciuitate reuocari potest. Laederetur ergo ecclesia in suo iure perfecto, si immunitatem semel concessam absque urgente necessitate reuocaret.

§. 116.

Pariter respublica ecclesiae bona sua consensu illius acquisita nullo iure eripere potest, nisi quoque oriatur vrgens necessitas.

§. 117.

Porro cum reipublicae competat ius perfectum cauendi, ne turbetur per ecclesiam, recte sibi vindicat ciuitas *inspectionem* in personas illas, quae administrant munera ecclesiastica.

§. 118.

Poterit ergo eas personas excludere a capessendis muneribus ecclesiasticis, per quas arbitratur turbari posse vel ecclesiam atque per eam ciuitatem, vel ipsam directo rempublicam. Neutiquam itaque taxanda respublica, quae a muneribus ecclesiasticis arceri solet.

§. 119.

§. 119.

At vero cum quaestiones fidei sicque creden-
da pendeant a conscientiae conuictione, neque
de iis ortas quaestiones decidere, neque quid ve-
rum sit, determinare poterit ecclesia, est enim
conscientia imperii impatiens.

§. 120.

Secus vero erit, si *controuersias* in ecclesia
agitari omnesque *ecclesiasticas disputationes* inter
diuersarum ecclesiarum membra intermitteri iubet
respublica. Eo enim nihil aliud agit, quam
quod curet, ne per eam turbetur respublica, quo
tunc suo vitur iure perfecto.

§. 121.

Cum vero possit prohibere ciuitas, ne con-
trouersiae in ecclesia agitentur, sequitur, recte
ciuitatem posse *secundum professionem* cuiusuis
ecclesiae ex controuersis *dogmatibus unum eligere*,
atque ut id tantum *doceatur* publice, praecipere,
quo non infertur conscientiae vis, quippe hocce
praeceptum non inuoluit, ut credatur determi-
natum dogma a membris ecclesiae, hoc enim prae-
cipere nequit respublica, sed ut euitentur con-
trouersiae, quibus moueri possent turbae in ci-
uitate.

§. 122.

Quicquid vero statuat respublica, obligat
non ut lex ecclesiae lata, ea enim libera est ab
imperio, sed potius normam praescribit ciuibus
et subditis, ad quam actiones suas in ecclesia re-
spectu



spectu ciuitatis componere debeant. Quapropter improprie dicitur *lex ecclesiastica*.

§. 123.

Cum vero concipi possit expressa norma ciues obligans circa actiones ecclesiasticas externas, dubitandum non est, quin etiam existere possit *consuetudo* obligans eadem ratione, vt expressa norma vel lex.

§. 124.

Quod vero obligata est ciuitas, curare, ne per ecclesiam turbetur illius externa pax, vtique ex suo iure obligata quoque est ciuitas ad defendendam ecclesiam, si ab alio turbetur. Cum enim iidem sint ciues, qui et membra ecclesiae; haec turbari non potest, quin simul turbetur respublica. Non ergo opus, vt *defensuum* fingamus *pactum* inter ecclesiam atque rempublicam initum.

§. 125.

Cum vero libera sit ab imperio ipsa ecclesia, aedeoque singula ecclesiae membra, quatenus sunt membra: sequitur, ciuitati competere non posse ius, aliquem repellendi, *ne fiat ecclesiae membrum*, nisi eidem ius competat, eundem excludendi e republica: quo efficit, ne ecclesiae membrum esse possit in territorio reipublicae.

§. 126.

Contra ecclesiae, cum receptio sit humanitatis, ius competit, vt aliquem non recipiat inter membra ecclesiae, vel si solam ecclesiam turbauerit,



bauerit, eundem quoque repellat atque eiiciat. Cum vero concurrat in membro ecclesiae simul idea ciuis, causa adest, cur respublica cognitionem suam interponat, an iuste excludatur ex ecclesia, ne laedatur ciuis, ad cuius defensionem obligata respublica.

§. 127.

Cum vero ecclesia separatim concipiatur a republica omnisque a tolerantia pendeat nexus, nihil certius est, quam si mortem patiatur respublica, eo non simul mortem pati ecclesiam. Quo consequitur, cessare tunc extincta ciuitate leges subditis datas circa negotia ecclesiastica, nisi nouus ecclesiae superueniat consensus, bene vero obligare statuta ab ecclesia sancita ob pacti vim, quamuis ad confirmationem illorum a ciuitate factam respiciendum tunc amplius non sit.



C A P. IV.

D E

OBLIGATIONIBVS ECCLESIAE IN NEXV AD REMPUBLICAM.

§. 128.

Est natura ea iurium perfectorum, vt vbi in vno deprehendantur, ponant in altero obligationes perfectas. Applices haec ad ecclesiam, facile patet, cum ex nexu inter rempublicam

D

blicam

ro-
ci-
as,
ffir
essa

ne
vti-
ad
am
ae;
es-
ga-
am

fia,
nus
on
hae
ex-
hae

ni-
in-
ur-
rit,



blicam atque ecclesiam intercedente competant iura perfecta reipublicae, ita quoque obligationes perfectae erunt a partibus ecclesiae.

§. 129.

Cum vero secundum naturae leges alia connata sint iura, alia acquisita: hanc quoque et iurium et obligationum distinctionem recte adfirmabis in nexu vtriusque vnionis civilis et ecclesiasticae. Ea vero erunt connata, quae ex ipsa legum iussione proueniunt, ea acquisita, quae ex pacto specialiter cum ciuitate licite inito oriuntur.

§. 130.

Cum autem omnis prope nexus inter ecclesiam interque rempublicam ex collisione obligationum deducitur, in qua ob tolerantiae partem potiores partes sunt Reipublicae. Omnis quoque in eodem nexu ecclesiae illiusque membrorum obligatio inde deducenda erit. Lex ergo illa: caueat respublica, ne laedatur per ecclesiam, alteram producit: scil. **NE TURBET ECCLESIA REMPUBLICAM IN IURE SVO PERFECTO.** Cum enim ecclesia expers sit imperii, haec vnica et vera erit regula vel lex, ex qua omnes omnino ecclesiae obligationes perfectae connatae atque acquisitae constitui possunt.

§. 131.

Habebat vero respublica iura nonnulla, vt superiori capite monstrauius, quae ex ipsa legum et nexus natura proueniebant, ex quibus orieba-



oriebatur in ecclesia obligatio. Quare cessat obligatio perfecta, in quibus reipublicae ius perfectum vel non competit vel competere nequit.

§. 132.

Quo deducitur, cum reipublicae, vt supra probatum est, competat ius, vt dirigat certo modo conuentus atque exerceat inspectionem in res atque personas ecclesiasticas, maxime qui munera ecclesiae administrant, recte quoque obligatam ecclesiam esse, vt id fieri a republica patiatur, ne inde se laesam putet. Non enim inuoluit imperium, sed suo iuri ciuitas inuigilat.

§. 133.

Cum autem respublica dogmata fidei statuere atque controuersias decidere nequeat, consequimur, nec ecclesiam obligatam in his causis fore.

§. 134.

Difficilius videtur esse quaestio, an ecclesia obligata sit, vt *ritus adiaphoros determinari patiatur per rempublicam*? Affirmandam esse suadet experientia inter Protestantes. Neque nego, si consensum interponat ecclesia fiat vel expresse vel tacite, recte adiaphora determinari, cum iis determinatis per se non laedatur conscientia. At tunc non iuris, sed facti quaestio est. Sic recte suo vitur iure ciuitas determinando adiaphora, si de iis controuersia oriatur in ecclesia, ex qua damnum imminet reipublicae. Sed remotis his verior mihi est sententia Viror. Clar.



PVTTERI et ACHENWALL in *Elem. Iur. Nat. et Gent. p. 328.* qui sic scribunt: *Principi in adiaphora ecclesiae ius non competit, nisi summae inspectionis: ipsius vero adiaphororum directionem esse in arbitrio ecclesiae, ideoque pertinere ad ius collegiale ecclesiae.*

§. 135.

Diximus supra: tolerantiam ecclesiae esse in arbitrio ciuitatis positam: quare sequitur: ecclesiam, cui denegatur *receptio*, stricto iure non laedi, sed eo etiam non obligari ciuitati, ad ea officia perfecta, quae oriuntur ex nexu, v. c. inspectionis et directionis, bene vero ad ea officia, quae debet singulus singulo in iure connato, scil. ne turbet pacem vnionis liberae.

§. 136.

Is vero ipse nexus intercedens causa est, cum pax ecclesiae in ciuitate pendeat a pace ciuitatis, vt si necessitas exigat summa, simul obligata sit ad onera ferenda. Equidem cum libera sit ab imperio ecclesia, iure imperii ciuitas exigere nequit, vt ecclesia sua conferat ad onera ferenda. At ex obligatione propriae conseruationis atque defensionis perfecte obligata est ecclesia, sicque inde oritur quoque ius perfectum ciuitati.

§. 137.

Ex eadem quoque causa facile reddideris rationem, cur ecclesia cum aliis paciscens vel ecclesiis vel societatibus liberis pati debeat, vt inspectionem in incundo pacto ciuitas exerceat;

Ius




Ius enim est ciuitati cauere, ne turbetur per ecclesiam.

§. 138.

Simulac vero ecclesia praeterquam ea, quae finem societatis concernunt, negotia gerat ciuilia in ciuitate paciscendo vel alio modo, cum tunc vtatur conditione priuata, negotia illa ciuilia secundum leges ciuitatis peragere debet.

§. 139.

Cum vero ecclesia duplici respectu considerari potest, vel in *conditione priuata* vel in *conditione libera*, sequitur, quoties delinquit in negotiis priuatis ciuilibus. v. c. contrahendo dolose, obligatam esse ad poenas ciuiles. Quoties vero alias conditione libera delinquit, cum tunc libera sit ab imperio, magis est, vt eandem dicamus fieri ciuitatis hostem, sic iura tolerantiae amittere. Secus in vno vel altero membro delinquente contra rempublicam.



C A P. V.

DE

IVRIBVS MAIESTATICIS

CIRCA SACRA.

§. 140.

Probauimus supra, ciuitati competere ius cauendi, ne detrimentum patiatur per ecclesiam, ex quo proueniebat ius inspectionis arque dire-

D 3

dire-



directionis actionum ecclesiae, ad quod agnoscendum ex pacto tolerantiae tenetur ecclesia. Cum vero ciuitas sua iura exerceat per maiestatem, factum vt exercitium iuris inspectionis atque directionis actionum ecclesiae dicatur *ius maiestaticum circa sacra*. Quapropter vehementer errant, qui iura sua ecclesiam pacto transtulisse in maiestatem arbitrantur, quod ideo factum esse nequit, cum ecclesia respuat imperium.

- * Cum neutiquam translatae maiestatis pactum concipi possit, sequitur, neque omne suum de rebus ecclesiasticis iudicium transtulisse ecclesiam in principem, vt factum in ciuitate; sed saluum super esse debere ecclesiae liberum suum iudicium in actionibus ecclesiae liberis. Quare non peccat ecclesia suo de rebus ecclesiasticis imperio ciuili non subiectis iudicio dissentiens a maiestate.

§. 141.

Nihil vero inter est, apud quem in ciuitate maiestatis sint iura, siue apud populum, siue apud optimates, siue sit monarchia, siue diarchia. Quare et iura maiestatica circa sacra, vel ab vniuerso populo in *Democratia* vel ab Optimatibus in *Aristocratia* vel a *Monarcha* vel a *Diarchis* exercentur. Imo si in Democratia certo cuidam collegio haec iura commendata sint, tamen hoc collegium exercebit saluo iure superioritatis populo competentis.

- * Forsan aliquid intererit, quam religionem profiteatur maiestas? Nihil interesse arbitror, cuiunque addicta sit religioni maiestas, sic maiestati

iestati Muhametanae religioni aut plane gentili addictae ob religionem iura maiestatica denegari nequeunt circa sacra. Exercet has imperii partes ex ciuitatis iure, religio vero rei publicae obiectum non est. Falsi ergo qui in tantum, quantum maiestas est membrum ecclesiae, iura circa sacra eidem tribuunt. Caeterum cum separatae sint societates, ciuilis et ecclesiastica, quarum neutra ab altera *suo modo* pendet, hinc maiestati nihil decedit, quae ecclesiae simul est membrum. Hinc tenetur ad eas obligationes, quae sunt ecclesiae, quamuis non teneatur suis Legibus circa negotia ecclesiastica in ciuitate sua latis. An non prudentius sit, si cum religione suae ciuitatis et maiestas consentiat, maxime cum ea sit imbecillitas hominum, vt consentientes in religione magis ament, non disputo.

§. 142.

Cum supra probatum sit, ecclesiam liberam esse ab imperio, indeque quae maiestati circa sacra competunt iura, non competere ex translatione iurium ab ecclesia facta, sed competere ciuitati ex suo iure, inde sequitur, *monarcham ecclesiasticum* concipi non posse.

* Neque ergo, quamuis sapere sibi videantur, recte sentiunt, qui duplicem in maiestate statuendam arbitrantur personam; Principis videlicet et Episcopi. Neque ea mihi ponderosa satis sunt argumenta pro hac sententia. Meruunt ne Catholici principes in terris Catholicis sibi ius in sacra capiant in subditos, si quos habent protestantes. Ego vero nollem per errorem protestantes liberare ab hoc metu: Pax enim Guesthphalica lex fundamentalis iam, ne id fiat, obicem posuit. Et sic satis!



§. 143.

Recte inde inferitur, ius circa sacra maiestaticum non inuoluere absolutum aliquod imperium in ecclesiam, vt pro arbitrio omnes omnino ecclesiae actiones atque negotia dirigat, sed saltem *inspiciendi* atque *dirigendi*, ne laedatur ciuitas. Iam vero concludimus, quaecunque iura ciuitati competebant in ecclesiam, ea ipsa iura exercet ciuitas per maiestatem, in quam sua transtulit iura.

§. 144.

Maiestatis autem iura vel ipsam concernunt ecclesiam, vel actiones ecclesiasticas. Ad iura ipsam ecclesiam concernentia pertinet I. IUS RECIPIENDI VEL NON RECIPIENDI ECCLESIAM. Cum vero supra probatum sit, receptionem esse non necessitatis sed humanitatis, actiones circa receptionem inde diiudicabis. Quare non iniuste agit maiestas, quae vni ecclesiae receptionem indulget, alteram vero excludit, vel qui receptioni limites scribit, nisi adsint pacta fundamentalia reipublicae, quae limites ponant huic iuri maiestatico, quale exemplum est in pace Guestophalica; imo nisi cum ipsa ecclesia intercedant pacta, quae aliam recipiendi ecclesiam ius maiestati negant.

§. 145.

Iniuste ergo aget maiestas, quae contra leges fundamentales ciuitatis suae, vel contra pacta cum ecclesia inita, aliam ecclesiam recipit sicque *simultaneum* introducit, vel receptam expellit,



pellit aut plenarie receptae limites ponit receptionis.

§. 146.

Cum praeterea maiestas prospicere debet, ne per ecclesiam laedatur respublica, indeque inspectio directioque actionum eidem competit, maiestati competit *IUS ΕΠΙΣΚΟΠΗΣ*, ex quo iure potest actiones ecclesiae nocituras ciuitati prohibere, eas vero, quae rempublicam turbaturae non sunt, arbitrio ecclesiae relinquere. Quo deducuntur ius inspiciendi conuentus ecclesiae, confirmandi statuta ab ecclesia pacta, ius prohibendi controuersias in ecclesia solum vel cum aliis ortas, prospiciendi muneribus ecclesiasticis, attendere ad pacta, si quae cum aliis societatibus inierit ecclesia et alia.

§. 147.

Iniuste ergo ager maiestas, si imperium capiat vel in actiones ciuitati penitus innoxias, ad eas, quae a conscientia pendent, vel quae aguntur ab ecclesia extra nexum cum republica: Si conuentus ecclesiasticos nulla causam dante laesione prohibear: Si dogmata fidei determinet, aut fidei controuersias dirimat: muneribus ecclesiasticis sic prospiciat, vt inde damnum ferat ecclesia, maxime si iis conferat, qui non sunt membra ecclesiae: si interdicit ecclesiae paciscendi licentiam de rebus ciuitati nunquam nocituris, imo vno verbo, si ea peragat, quae magis sunt imperii quam *ΕΠΙΣΚΟΠΗΣ*.



§. 148.

Cum vero in nexu ecclesiae cum republica iidem sint ciues, qui et ecclesiae membra, maiestati vero competat imperium dirigendi actiones subditorum ad obtinendum ciuitatis finem, poterit et ciuium simul ecclesiae membrorum actiones ad ipsum cultum diuinum vel ad conscientiam non pertinentes determinare in ecclesia, in quibus maiestati competere potest ius inspectionis et directionis. Oritur inde **IUS LEGES FERENDI ECCLESIASTICAS.**

§. 149.

Maiestati incumbit cauere, ne per ecclesiam turbetur respublica, inde *Potestas legislatoria* circa ea sese exerit, quae concernunt tranquillitatem atque pacem externam, ne vel ecclesia turbetur ac per eam respublica, vel respublica solum ab ipsa ecclesia.

§. 150.

Hinc maiestas recte legibus latis determinat actiones, quas intermittere debent ciues ac subditi membra ecclesiae ob id, quod turbarent vtramque et ecclesiasticam et ciuilem tranquillitatem.

§. 151.

Omnes in ciuitate poenae statutae sunt determinatio satisfactionis, quam in euentum laesionis illatae constituit maiestas ciuitatis nomine ex iure vindictae. Cum vero laesa pace ecclesiae simul laedatur pax ciuitatis, vtrique maiestas quoque



que legibus poenas statuere potest in eos, qui turbant pacem ecclesiae. Secus si vniuersa ecclesia turbat rempublicam, cum ecclesia libera sit ab imperio, iure vtitur armorum.

§. 152.

Cum vero omnes leges eum debent habere finem, vt caueant, ne laedatur pax externa ciuitatis per ecclesiam, membra ecclesiae, quatenus sunt ciues, tenentur legibus a sua maiestate latis, quae hunc concernunt finem.

§. 153.

Contra ergo non solum ciues non obligabuntur, verum et maiestas iniuste agit, si leges dat, quae vel conscientiae libertatem infringunt aut cogunt, vel quae sunt contra pacta fundamentalia adimendo vel restringendo tolerantiam securitatemque, si determinat adiaphora nullo maiestati competente iure, si delicta facit in factis, quae non laedunt rempublicam, aut si poenas constituit in causis, in quibus ecclesia ciuili imperio vel subiecta non est, vel esse nequit.

§. 154.

Ex eodem quoque fonte fluit, inter iura maiestatica esse ΕΠΙΣΚΟΠΗΝ in cultum diuinum, in tantum, quantum fieri possiet, vt per externum cultum turbaretur pax ciuitatis. Quo consequitur, recte principem constituere posse suos *Vicarios*, atque *Superintendentes*, quorum est Vice Maiestatis in cultu ecclesiastico atque ecclesiae actibus attendere, ne turbetur pax externa.

§. 155.



§. 155.

An vero maiestas ex hoc iure praescribere possit *publicas precum formulas*, ambiguum videri potest. Cum omnia maiestatis iura pendean ab eo, vt caueat, ne turberur ciuitas per ecclesiam, magis est, vt affirmemus, in constituendis precum formulis sibi relinquendam esse ecclesiam, ita tamen, vt attendat maiestas, ne quid sit in precibus, quod sit contra rempublicam. Praescribet vero maiestas permittente interdum ecclesia.

§. 156.

Maiestas vero exigit *ius precum publicarum*, neuiquam ex legibus iustitiae vniuersalis, at bene vero ex officiis pietatis.

§. 157.

Quatenus vero principi ius competit inspectionis in ecclesiam, eatenus a legum obligatione gratiose dispensare poterit, neuiquam vero solvere potest membrum ecclesiae ab obligatione ecclesiae debita.

§. 158.

Cum autem solum inspectionis iura exercent maiestas in ecclesiam, nunquam absolutum imperium; fuit inde, neque maiestatem quemquam ciuium suorum ad sacra externa cogere posse; repugnat libertas conscientiae, cum externa sint symbola internorum animi motuum. Bene vero negabit ciuium iura ei, qui alienus a sacris toleratis, si adsunt pacta ciuitatis, quae ciues socios



cios suae ecclesiae approbant; nequitiam vero negabit per modum poenae, quippe dissentiendo non peccat in rempublicam vel ecclesiam.

§. 159.

Cultus diuinus externus certis stasisque diebus peragitur, tolerantia ergo ecclesiae concessa efficit, vt conuentuum dies statuere possit ecclesia; At quod membra ecclesiae simul sint ciuitatis, facile patet, maiestatem ciuibus dies ad conuenus ecclesiasticos constituere posse, indeque eadem ius comperere *adornandi dies festiuos*. Nequitiam vero potest maiestas festos dies cum ecclesia receptos dissentiente ecclesia penitus prohibere.

§. 160.

Cum vero inter sit reipublicae, ne munera ecclesiastica administrentur per personas, per quas turbari posset respublica, recte competit maiestati *IUS SVMMI PATRONATVS*, vi cuius vel poterit, quoties necesse videbitur vacanti muneri prospicere, vel quos alii quibus ius prospiciendum est, vel ipsa ecclesia ad munera ecclesiastica elegit, confirmare.

Ex eadem cura pacis externa maiestas quoque aliis recte conferre potest *ius Patronatus* ordinarium, vt videlicet possint vacanti muneri prospicere, saluo tamen iure electiones factas comprobandi.

§. 161.

Quodsi vero ecclesia synodos habitura est, recte quoque Maiestati ius est, *CONVOCANDI*
SYNO-



SYNODOS EASQUE DIRIGENDI, videlicet ne quid per eas statuatur, quo turbetur pax externa ciuitatis. Consequitur inde, maiestatem posse ordinem externum synodos habendi instituendique per leges determinare. Imo si in synodis quid constituitur, quod concernit ciuitatem, confirmatione maiestatis eger.

§. 162.

Quia porro maiestati competit ius inspicienti sacra, neuiquam vero imperium in ecclesiam, poterit vtiq̄ue attendere, ne in docenda religione admisceantur dogmata, quae reipublicae noxia esse possunt, vel quae sunt turbatura ecclesiam, quippe tunc quoque turbaretur ciuitas; at *modum docendi* praescribere, imperii magis esset quam inspectionis.

§. 163.

Potest amplius ex eodem iure in iis actibus ciuium ecclesiasticis, quae effectum ciuilem producant, et sic sunt ciuiles nec a conscientia pendent *banna* statuere *ecclesiastica*; nullo iure vero constituuntur in iis actibus, qui conscientiam tangunt, quippe tunc vis inferretur conscientiae, quae tamen expers est imperii.

§. 164.

Cum autem statuta confici posse ab ecclesia suo modo supra dictum, recte maiestas, quatenus in statutis sancita recipiunt imperium, curare potest, vt a ciuibus ecclesiae membris ea quoque seruen-



seruentur. Neque vero negandum, posse maiestatem et tunc refractarios coercere.

§. 165.

Quare si in ecclesia per statuta in actibus ad solam ecclesiam pertinentibus poenae conuentionales determinatae, modo non in eos actus, qui a conscientia pendent, attendere potest maiestas, ne quoque ciuis laedatur in suo iure perfecto, si forsan sine iure poenam exigeret ecclesia. Obligata est enim maiestas non solum ad vniuersam defendendam rempublicam, sed ea quoque defensionis iura singuli exigunt ciues. Ex ea obligatione vtique deducendum quoque est ius maiestatis circa sic dictum *bannum ecclesiae* seu das *landsherrl. Recht des Kirchen-Bannes*. Exclusio enim ex societate ecclesiastica ad solam quidem ecclesiam spectat, sed cum ea laedi quoque posset ciuis, inspicere debet maiestas, ne sine iure ciuis excludendo ex ecclesia laedatur.

§. 166.

Referunt ad Iura maiestatica ex inspectionis iure REFORMANDI IVS. Equidem si reformationem ecclesiae de eo capite intelligas, si in rebus, quae imperio subsunt atque subesse possunt, externam collapsam doctrinam restituat maiestas, quatenus ea confert quidquam ad conseruationem pacis externae, lubens consentio. At vero si reformatio sese extendat in ea, quae imperio nec subsunt, nec subesse possunt, vt puta formulam fidei et vbi conscientia concurrat, plane



plane cogitari nequit Ius reformandi inter iura maiestatica; inuolueret enim tunc imperium in conscientias. Imo vix concipi potest ius reformandi illaeso pacto tolerantiae. Quare quoque arētis limitibus hoc ius circumscribere iura ecclesiae Germanicae in pace Gueſtphalica.

§. 167.

Diximus (§. 106.) habere ciuitatem ius, ei, qui non consentit cum ecclesia tolerata, negandi tolerantiam. Quoties ergo maiestas ciuitatis nomine hoc ius exercet, vocant *ius emigrandi*. Sed et hoc emigrandi ius caute exerceri debet a ciuitate. Nisi enim adsit lex ciuitatis fundamentalis, quae neget tolerantiam ciui alienae ecclesiae, vix hoc ius dabitur maiestati, quippe tunc non potest eum, qui iam ciuis est, pellere ciuitate, nisi in ea deliquerit, quod non fiet dissensu solo in religione. Est haec causa, cur neget Pax Gueſtphalica emigrationem necessariam iniungi posse per modum poenae.

§. 168.

Haereticus qui sit in republica atque in sensu iuris ecclesiastici vniuersalis monuimus (§. 68. et 108. sq.) consequimur, maiestatem, cum omnis ecclesiae receptio sit humanitatis, posse vnam recipere, aliam reprobare. Quo sequitur, si qui sint, qui probent ecclesiam reprobata, recte maiestatem eosdem haereticos declarare. Sed cauendum est sedulo, ne haeresin constituat delictum, quod eleganter euicit THOMASIVS *diff. an haeresis sit crimen*.

§. 169.

§. 169.

Cum supra (§. 111. sq.) dictum sit, bona in ciuitate ab ecclesia possessa obligata esse nexui ciuili, recte maiestas ciuitatis nomine exercebit ea ciuitatis iura in bona ecclesiastica. Poterit ergo prouidere, ne bonis suis defraudetur ecclesia, ne praeter eam, quam iisdem tribuit immunitatem, maiorem tribuat ecclesia. Concedet atque determinabit immunitatem ac sanctitatem bonis ecclesiasticis, quam et negabit, si necessitas ciuitatis id vrgeat. Sanctitas vero, qua muniuntur bona ecclesiastica, non alia est quam ciuilis, hinc in sensu theologico bona sancta dici non possunt.

§. 170.

Docuit §. 92. posse a ciuitate pluribus ecclesiis tolerantiam concedi, nisi adsit pactum de non recipienda tolerandaue alia ecclesia praeter receptam. Inde recte concedes Maiestati *VS SIMVLTANEI*, hoc est, vt praeter receptam alias quoque nomine ciuitatis recipere possit ecclesias huiusque receptionis limites ponere, nisi vel lex fundamentalis reipublicae vel pactum cum ecclesia initum id prohibeat.

§. 171.

Sicut vero per se ecclesia libera est ab imperio, ita neuiquam iurisdictioni Reipublicae subici potest. At vero cum in membris ecclesiae simul deprehendatur idea ciuis, recte affirmabis

E

maiestati



maiestati quoque competere debere IURISDI-
CTIONEM ECCLESIASTICAM.

§. 172.

Est vero *Jurisdictio ecclesiastica* ius maiestati competens omnes ciuium suorum lites, quae non sunt extra imperium circa ecclesiam, inter se vel cum ipsa ecclesia ortas cognoscere easdemque decidere.

§. 173.

Sequitur inde, Jurisdictionem illam ecclesiasticam esse *mere ciuilem*, neque concipi posse in iis causis, quae solam stringunt ecclesiam atque quae sunt extra nexum cum republica. Accommodata itaque est ad eas causas de quibus maiestati competit potestas ferendarum legum, eaque vel ex iure defensionis ecclesiae debitaе, vel ex iure inspectionis.

§. 174.

Cognoscer ergo Maiestas lites de obligationibus ciuium respectu ecclesiae ortas, nec non de delictis quibus laesa est ecclesia, imo de causis ecclesiae ciuilibus atque de iis, quibus laedi posset per ecclesiam ciuitas. Quodsi vero oriantur in ecclesia lites de rebus ad conscientiam et fidem pertinentibus, eas nec iuste decidere poterit maiestas, cui vero recte competit ius pacem imperandi easque lites et controuersias prohibendi salua cuiusuis sentiendi libertate ex conscientiae ratione.

§. 175.



§. 175.

Quod si vero contingat, vt membra ecclesiae in ciuitate ciues aut subditi non sint, *cessabit* et in eorum causis iurisdictio quam dicunt ecclesiastica, quippe cum ex nexu cum ciuitate oriatur, cessante in membro eo nexu, necessario cessabit iurisdictio.

§. 176.

Quatenus ergo ii, qui administrant munera ecclesiastica, subsunt imperio ciuili, eatenus quoque maiestas in eos exercet iurisditionem. Quatenus vero actiones illorum sunt extra imperium ciuile, sola ecclesiae negotia libera concernentes, eatenus nec de iis ius dicit maiestas ciuilis.

§. 177.

Ex hoc iurisditionis iure fluit, maiestatem quoque dare *processuum ordinationes* posse, secundum quarum ductum lites cognoscendae sunt. Ciuibus autem tunc haec scribitur lex, neutquam ecclesiae.





C A P. VI.

D E

OBLIGATIONIBVS CIVITATIS
EIVSQUE NOMINE A MAIESTATE
ECCLESIAE PRAESTANDIS.

§. 178.

Non satis est, dixisse iura maiestati aut ciuitati
competentia, opus quoque videbitur, *obli-*
gationes simul ex iure reciproco ecclesiae prae-
standas a maiestate accuratius ostendere. Sicuti
enim non dira tyranni libido, non principis nuda
voluntas normam constituit actionum ciuium,
qui hoc dato non ciues, qui tunc potius prope
infra seruilem versarentur conditionem, sed iura
maiestati ad finem certum obtinendum sunt con-
cessa, ita recte exoriuntur in maiestate simul ob-
ligationes, ad quas implendas perfecte aeterna
naturae lege tenetur. Hic non loci est perui-
dere obligationes ciuiles, videamus magis, ad
quid teneatur maiestas ecclesiae.

§. 179.

Erat ecclesia per se suaque natura libera, hinc
expers imperii. Obligata est ergo maiestas, vt
eandem praeter nexum cum ciuitate supra de-
monstratum liberam atque ciuitati suae aequalem
agnoscat.

§. 180.

§. 180.

Oritur exinde obligatio in maiestate: *ne laedat ecclesiam in sua aequalitate*, quod fiet subiiciendo eam in totum suo imperio denegatis libertatis iuribus.

§. 181.

Cum vero amplius ad sui conseruationem teneatur ecclesia, vtique ex applicato naturali iure maiestas tenebitur, *ne laedat ecclesiam in sua conseruatione*.

§. 182.

Cum amplius ad pacta sancte seruanda teneatur maiestas, nihil certius est, quam maiestatem quoque obligatam esse ad *implenda seruandaque ea pacta*, quae vel ciuitas vel ipsa maiestas iniit cum republica.

§. 183.

Quia vero pactum tolerantiae est primum a quo pender omnis nexus, sequitur, maiestatem obligatam esse, *ne turbet ecclesiam in ea*, quam semel eidem concessit, *tolerantia*.

§. 184.

Nec minus inde inferitur, si adsit pactum ecclesiae cum republica, ne alia tolleretur ecclesia vel recipiatur; obligata est maiestas cauere, ne etiam contra pacta cum ecclesia alia per *simultanei ius* nanciscatur tolerantiam.

§. 185.

Cum recipiendo ecclesiam maiestas simul consensit in illius finem, obligata quoque est maiestas permittere ecclesiae, ut quidquid ad obtinendum finem cultus diuini spectat, *libere* peragat. Ex hac obligatione maiestas omnia ea remouere debet, quae hunc finem impediunt.

§. 186.

Cum Maiestati competat *Ius Patronatus Summi* (§. 159.) ipsaque maiestas recipiendo ecclesiam consensit in ea omnia, quae ad obtinendum finem necessaria sunt, sequitur, quoties maiestas prospicit vacantibus muneribus, eundem ita quoque prospicere debere ex sua obligatione, ut tales eligat, quibus conferat munera, qui ad obtinendum finem habiles sunt. Quod ducitur, maiestatem non posse ecclesiae obtrudere personas, quibus conferantur munera ecclesiastica, si vel ex iudicio ecclesiae (§. 139*) inhabiles, vel obtrusio ea cum laesione conscientiae coniuncta.

§. 187.

Quod vero ecclesia *bona possidere* poterit in ciuitate ex tolerantia, obligata est maiestas, ut semel ab ecclesia acquisita *bona agnoscat ecclesiastica*, hinc si *immunitatem* semel concessit, ne absque necessitate eandem postea ecclesiae neget, vel ne ad alium finem, quam ecclesia determinauit, bona adhibeat ecclesiastica.

§. 188.



§. 188.

At vero, quia tolerantiae pactum concedit simul ecclesiae *securitatem et pacem* indulget *externam*, obligata est maiestas ad *defendendam ecclesiam*, si vel a membris ciuitatis laedatur, vel si extranea vel persona vel gens vel societas vel ecclesia eandem turbet. Priori causa puniet subditum, posteriori ager vel iure naturali vel iure gentium.

§. 189.

Haec vero obligatio ad defensionem, quae in exercitio dicitur *IUS ADVOCATIAE*, non tantum deberur vniuersae ecclesiae, sed singulis quoque ecclesiae membris. Sic omnes quoque obligationes a maiestate vniuersae ecclesiae praestandae, suo modo praestandae quoque singulis ecclesiae membris.





C A P. VII.

D E

CAVSIS ECCLESIASTICIS
QVAE NEC A PACTO ECCLESIAE
NEC AB IMPERIO CIVILI
PENDENT.

§. 190.

Monuimus supra (§. 6*) in iure ecclesiastico vniuersali constituendo non semper iura collegialia applicari posse perfectae, sed singularem suam naturam habere ecclesiam. Finis enim ecclesiae positus erat in cultu diuino per externa symbola. Hic credenda atque conscientiae causas deprehendis, de quibus pacisci nequit, ita vt detur perfectum coactionis ius, si alter contra pacta egerit. Inde affirmauimus (§. 30.) pactum, quo quis fit ecclesiae membrum, in se continere tacitam istam conditionem, *quousque permittat conscientia*. Inde recte consequi licet, neque ecclesiam, neque reipublicam cogere quem posse, qui fuit ecclesiae membrum, ne libere recedat ab ecclesia, si per conscientiae suae rationes se non posse amplius in eadem ecclesia persistere, eidem rectum videatur. Est ergo *mutatio religionis* cuiuis membro ecclesiae in quauis ecclesia sua natura libera.

§. 191.



§. 191.

Omnis cultus externus inuoluit symbola internas notiones exprimentia, quapropter, si quos ritus introducat ecclesia, licet sint adiaphori, si ex conscientiae scrupulo contrarium videatur membro, licet in reliquis ecclesiae fundamentis consentiat, cum conscientia expers sit imperii, in hoc suae libertati relinquendum est, neque ob eum dissensum vel ab ecclesia vel a republica excludi potest, quamuis ecclesiae liberum sit, tentare, an argumentis dissentientis conscientiam placare queat.

* Exemplum capiam ex ecclesia Christiana a Luthero restaurata. Sunt, qui cum legant Sanctissimum Generis Humani omnipotentem Seruatorem instuendo Symbola eucharistica fracto pane dedisse frustula discipulis, vt comederent, sibi fingunt hanc panis benedicti in manus capionem adeo necessariam, vt negent solo ore eandem peragi posse, qualem approbavit alias adiaphorum ritum ea ipsa ecclesia. Finge tibi dissentientem sic a reliquis, qui consentiunt tranquilla conscientia; an eundem statim ecclesia pellendum arbitraueris? an aduocaueris imperium, vt coactione ciuili radicitus euellat scrupulum, vt vocant conscientiae? Neutrum bene sed suae libertati relinquendus potius est, vt infirmorum quoque rationem habeat ecclesia conuiuendo; modo non turbetur vel ipsa ecclesia vel ciuitas. Et sic in aliis.

§. 192.

Hinc violentum quoque est ciues vel membra ecclesiae cogere, vt *mysteria ecclesiae absolute credant,*



credant, symbolis utantur, et ni faciant vel coactionem ecclesiasticam vel poenam civilem adhibere. Habet enim societas ecclesiastica ius in externas hominis actiones voluntarias, ne impediat finem: habet ciuitas ius in actiones omnes, quas civiles appellant; Inde et in his thematibus, nisi turbationes pacis ecclesiae vel ciuitatis concurrant, nec ecclesiae nec reipublicae ius erit.

§. 193.

Neque ecclesia amplius membro negare poterit iura semel in ecclesia acquisita, neque maiestas membro ecclesiae ea eripere potest iura, quae eidem comperunt ex tolerantia ecclesiae in republica, nisi ex superueniente turbatione vel ecclesiae vel reipublicae.

§. 194.

Cum quaelibet ecclesia libere possit professionis suae formulas concipere, in quas maiestati ob conscientiae causas et in dogmata ecclesiae negatum ius, nihil iuris competere potest, neque prohibere poterit ecclesia membris suis, nec iisdem ciuibus maiestas, quominus eas *professionis formulas* examini subiiciant, dummodo abstineant a turbanda ecclesia atque republica.

§. 195.

Sicuti vero ob libertatem ecclesiae ciuitas nullo iure se immiscere potest actibus mere ecclesiasticis

ecclesiasticis et vice versa nunquam ecclesia ius ha-
 bere potest cognoscere diiudicare atque determi-
 nare actus civiles, quippe sunt separatae vnio-
 nes, ita neque ecclesia neque respublica in eas
 membrorum simulque ciuium actiones, quae
 sunt extra obligationem ecclesiae et extra impe-
 rium ciuitatis sibi ius aliquod tribuere poterit,
 Cummodo actio ita comparata, vt neque eccle-
 siam nec rempublicam laedat.

§. 196.

Gaudent membra ecclesiae iure aequali inter
 se (§. 22.) Haec perfecta aequalitas non per-
 mittit, vt vel ab ecclesia vel a republica inter
 membra ecclesiastica inaequalitas aliqua introdu-
 catur. Equidem subordinatio a ciuitate inter-
 rines, quatenus sunt ciues, statui poterit; et qua-
 tenus ea subordinatio ciuilis non imminuit ae-
 qualia iura membrorum ecclesiae, ferri poterit
 quoque in ecclesia, sed non quatenus sunt eccle-
 siae membra. Iudica ergo de imperio et iuris-
 dictione in conscientias laicorum clericis inter-
 dum in ecclesia vna alteraue ab ecclesia vt iacti-
 tant concessa!



C A P.



CAP. VIII.

DE

IURIBVS ECCLESIAE
COMPETENTIBVS CVM ALIIS
EXTRA CIVITATEM.

§. 197.

Considerauimus haecenus mutua iura et obligationes ecclesiae et reipublicae in nexu ciuili. Superest, vt consideremus adhuc, quae competant iura ecclesiae in ciuitate existenti extra nexum cum ciuitate vel contra ciuitatem vel cum aliis.

§. 198.

Omne fundamentum obligationum ecclesiae in nexu ciuili erat, ne laedatur in pace sua externa ciuitas, et obinde ciuitati vindicabamus inspectionis ius. Inde consequimur, extra hunc nexum liberam et ab imperio immunem esse ecclesiam in ciuitate existentem.

§. 199.

Quare ecclesiae ius competit, a quolibet sine singulo homine suae ciuitatis non ciue, societate alia libera, atque gente alia imo sua, in qua existit reipublica praetendere, vt ab omni inferenda laesione atque iniuria abstineant.

§. 200.



§. 200.

Quodsi itaque contingat, ut vel laedatur a non ciue vel societate libera vel a gente alia, non tantum ecclesiae competunt iura defensionis, sed cum defendenda sit a republica, ab hac defensionem exigit atque vindictam contra laedentem per rempublicam exerceat necesse est.

§. 201.

Si vero laesio in iuribus suis perfectis inferatur ecclesiae a ciue, ipsa quoque ecclesia ex iure defensionis, quod a ciuitate perfecto iure exigit, per ciuitatem vindictam atque satisfactionem postulat a laedente. Iniuste ergo ageret utrisque thematibus, si neglecto ciuitatis nexu, statim arma arriperet ipsa ecclesia, quibus se ab iniuria et laesione illata defenderet.

§. 202.

Facile vero inde colligitur, si haec defensionis iura contra laedentem ecclesiae *neget* ciuitas, non tantum laedi ecclesiam simul a sua ciuitate, sed et tunc recte competere eidem ius arreptis armis laesionem vindicare atque sibi satisfactionem parare.

§. 203.

At quid! si ipsa ciuitas laedat ecclesiam in iure suo perfecto? Ex iis quae saepius dicta sunt, cum ecclesia extra nexum sit libera, laesione vero
omnis



omnis expiret nexus, recte tunc ecclesiae dari ius armorum contra suam rempublicam, cui amplius ob laesionem illatam perfecte obligata non est.

§. 204.

Difficilior vero erit tunc quaestio, cum idem ciuitatis qui et ecclesiae membra, *an ciues arma arripientes contra rempublicam laedentem sint rebelles.* Obligati sunt ciues ciuitati, suisque fruuntur iuribus. Obligata sunt membra ecclesiae, suisque in ea fruuntur iuribus. Si negamus membris ecclesiae ius armorum contra ciuitatem laedentem, idem est ac si impune iniustitiam in ecclesiam committi posse adfirmaremus. Si damus arma, videmur absolueret ciues ab obligatione ciuitati debitae. Sed his non obstantibus negandum esse arbitror, tunc subditos rebelles fore in proposito themate. Si enim laedatur ecclesia a ciuitate, fiat a maiestate quae repraesentat ciuitatem. Inferendo vero iniuriam ecclesiae, egit contra finem ciuitatis, quae maiestatem ideo constituit, ut per imperium quaerat obtinere finem ciuitatis, non vero ut laesiones iniuriasue inferat. Non ergo tenebitur ciuitas, quippe maiestas tunc non egisse videtur, ut maiestas; hinc cessat ciuium obligatio. At alia difficultas in eo posita, quod ciues tunc iudicent de factis suae maiestatis, qui tamen omne iudicium suum transtulerunt in maiestatem. Sed non iudicant ciues, iudicant vero eccle-



ecclesiae membra, in qua relatione liberi sunt,
neque iudicium transtulerunt in maiestatem.

§. 205.

Haec vero aliter comparata erunt, si quaedam tantum ecclesiae membra laedantur a sua ciuitate. Haec non defendenda videntur ab ecclesia, quippe finis ecclesiae non est communis defensio, sed cultus diuinus externus.

§. 206.

Contra si ecclesia laedat ciuem suae ciuitatis, cum ciui denegetur propria vindicta, maiestas ex iure defensionis laeso satisfactionem exigat ab ecclesia laedente.

§. 207.

Idque iuris erit, si extraneus vel collegium aliud liberum, vel gens laesa sit ab ecclesia, per maiestatem ciuitatis, qui tolerantiam concessit ecclesiae, postulet laesa pars satisfactionem ab ecclesia laedente. Equidem videtur gentem agere posse iure belli contra laedentem, quod vero in hac causa non procedet, quippe ecclesia bello adiri nequit, nisi simul bellum inferatur ciuitati, quapropter per ciuitatem exigat necesse est satisfactionem, quod si neget ciuitas, belli ius utique tunc laesae parti competet, sibi que imputet ciuitas si inde turbationem patiatur.

§. 208.



§. 208.

Iam apparet inde, si priuatus extraneus vel collegium alii ciuitati subiectum laesum sit, si exegerint satisfactionem mediante maiestate ciuitatis, quae laedentem tolerat ecclesiam, eaque neger, priuatum extraneum vel collegium extraneae maiestati subordinatum per suam tunc maiestatem ob iura defensionis exigere debere satisfactionem damniue ab ecclesia perpeffi reparationem.

§. 209.

Quod si vero laesio cuidam illata genti, eaque neglecta maiestate ciuitatis, in quo toleratur, ecclesia laedens statim bello aggrediatur ecclesiam, cum sic simul turbet ciuitatem, maiestas non tantum ex iure defensionis ecclesiae tunc praestandae, sed magis ob propriam ciuitati illam turbationem belli iure vtatur.

§. 210.

Cum praeterea ecclesia libera sit atque imperii expers, valide cum extraneis vel singulis ciuitatis et ecclesiae non membris, vel cum collegiis liberis vel aliis gentibus de qualibet re non iniusta paciscitur, sibi acquirit iura perfecta seque aliis obligat, modo id fiat saluo ciuitatis suae iure inspectionis, *ne pacta ineat ecclesia turbatura aliquando rempublicam.*

§. 211.

Hinc oriri potest quaestio: *an ecclesia cum gente aliqua defensiua inire possit pacta?* Cum a ciuitate



ciuitate sua defendenda sit ecclesia, huius equidem erit, defensua inire foedera. At cum conringere forsan posset, vt vel a ciuitate sua defendi non possit, vel a sua ipsa laedatur ciuitate, contra quam ad se defendendam arma capere cogitur, dari potest thema, quo valide pacisci de defensione sua cum alia gente possit. Pactum enim defensionis nunquam per se turbatiuum esse poterit ciuitati.

§. 212.

Recte ergo ecclesia paciscatur cum alia gente de sua defensione in eum casum, si vel a sua ciuitate defendi non possit, vel ab eadem laedatur. Sicut vero hoc pactum defensionis non inuoluit subiectionem, neque gentem defensionem promittentem iudicem constituit inter ciuitatem atque ecclesiam; ita neque mutua defensio promitti potest ab ecclesia, quippe tunc in collisionem veniunt iura ciuitatis, atque ecclesia per se, cum ecclesiae membra simul sint ciues, ad defendendum alterum suam obligare nequit ciuitatem.

§. 213.

Quo deducas, quid tunc iuris; si ecclesia ciuitatis alicuius cum gente extranea pactum praestandae defensionis inierit, post illa extranea gens cum ciuitate illa, in qua est ecclesia defendenda, bellum habeat, an ciues, qui simul membra ecclesiae defendendae arma contra defensionem



nem promittentem gentem capere possint salvo pacti defensionis iure et obligatione? Et arbitrator non tantum posse, sed adeo obligatos esse. Non enim arma tunc arripiunt membra ecclesiae contra defensorem suum, sed ciues contra gentem extraneam eamque tunc hostem.

§. 214.

Cum vero ecclesia non possit per se agere et conuenire cum aliis, sed per personas certas, quaeritur: *an ecclesiae competat ius legatorum.* Equidem non nego, ecclesiam liberam constituere societatem. At cum non inuoluat ideam gentis, gentes vero liberae tantum habeant ius legatorum, proprie procuratoribus, quos ad alios mittit ecclesia iura legationis tribui non possunt, quamuis illa sanctitas et inuiolabilitas in statu naturali cuius debita iisdem denegari non possit.

§. 215.

Quidquid ergo procurator strictissimo mandato instructus nomine ecclesiae mittentis contrahit, et obligat suam ecclesiam, et obligationem suae acquirat ecclesiae, ita ut ex iis negotiis recte et teneatur ecclesia et iura perfecta ab aliis exigit.

§. 216.

Cum maiestati in ciuitate competant iura inspectionis et directionis in ecclesiam ex nexu
ciui-



ciuitatis, sequitur maiestatem per se nec *repraesentare ecclesiam*, nec eandem valide obligare posse, nisi vel consentiat ecclesia, procuratorem constituendo maiestatem, vel ratihabeat quidquid a maiestate gestum est.



C A P. XI.

D E

MORTE ECCLESIAE.

§. 217.

Mors, cum solutionem vinculi inter corpus et animam tanquam essentialia hominis partes contineat, applicationi causam dedit in mysticis corporibus, vt et solutionem obligationum atque nexus inter singula membra per consensum vnitos indicet.

§. 218.

Ecclesia ergo, cum sit corpus mysticum, *mortem* perpeffa dicitur, si omnes illae inter membra initaе obligationes iuraque perfecta cessant. Facile ex his ideis apparet, de *ecclesia interna* hic sermonem esse non posse: haec enim nititur obligationibus, quas omnes omnino homines suo creatori debent, quasue cognoscimus ex theologia naturali et inter Christianos ex diuina



reuellatione. Quae cum obligationes, quo vique homines existunt, nunquam cessent, neque haec mortem vnquam pati potest ecclesia interna. Secus vero est, si de, *externa* quaeras, quippe symbola arbitraria atque obligatio per haec symbola hoc ordine colendi numen a pacto proueniat, recte mortem externa pati potest ecclesia. Sic vix negandum, ecclesiam gentilium Romanorum mortem perpessam.

§. 219.

Ecclesia externa cum per pactum orta sicque communi membrorum consensu, ita *unanimiti dissensu* iterum dissolui poterit. Communis itaque dissensus causam mortis inuoluet ecclesiae.

§. 220.

Dein cum pluribus sociis constet ecclesia, si omnes ii demortui, neque in eorum locum alii successerint, qui primum plantarunt ecclesiam, mortem simul patitur ecclesia.

§. 221.

Externa ecclesia occupata in cultu diuino ad certum ordinem per symbola certa exercere. Quidsi in quibusdam ritibus immutationem capiat Ecclesia aliqua, in iis vero nihil mutat, quae cultus essentiam constituunt, nec mortem passa est ecclesia, nec noua orta. Forsan inde probari posset, Pontificios non potuisse nec posse Protestan-

testantibus negare, quod sint membra oecumenicae ecclesiae Christianae, nec affirmare, quod a vera ecclesia Christiana defecerint.

§. 222.

Cum in pacto ecclesiae continebatur tacite conditio, singulos qui consensere fore membra ecclesiae quousque pateretur singulorum quoque conscientia. Si ergo fiat, ut per conscientiam singula membra de meliori veritate conuicti *ex-eant unilateraliter* quoque ex ecclesia, ut nulli in priori persistant, utique ecclesia illa mortem perpessa.

§. 223.

Si vero ecclesiae tantum in ciuitate negetur tolerantia, quae antea eidem non concessa, obinde non patitur mortem. Equidem cessabit nexus cum republica, at durare tamen potest ecclesia, maxime cum separatae sint societates vel vniones vtraeque liberae.

§. 224.

Quare simul oritur quaestio: *si maiestas neget membris ecclesiae ciuibus simul tolerantiam*, an obinde ciues migrandi ius habeant iure vniuersali? Sic decido: si negando tolerantiam conscientiae coactionem non adhibeat, atque suae fidei libertatem cuius permittat, obligata non est



est maiestas, ut migrandi licentiam ciuibus concedat, laesionem tunc iisdem negando tolerantiam non intulit. At si vel pacta de toleranda ecclesia adsint, vel negando tolerantiam conscientiae coactionem inferat, cum tunc laedat in iure libertatis ciues, quippe nec consenserunt nec consentire potuere, cum ciues facti, recte si velint *migrationem* concedere debet.

§. 225.

Praeterea cum finis ecclesiae positus in cultu diuino externo, si ea ecclesiae societas alium sibi finem constituat, desinit esse ecclesia sicque mortem patitur. Quapropter simulac degenerat ecclesia in rempublicam, mortem patitur ecclesia.

§. 226.

Cum dein ecclesiae obligationes et iura pendeant a pacto inter membra inito, sequitur, cum pactum sub conditione, ad tempus iniri possit, si fieri possit vel factum sit, ut ad tempus inita et constituta sit ecclesia, praeterlapso tempore expirare ecclesiam, nisi de continuanda superueniat nouum pactum. Sic si sub conditione inita, ea non existente, ecclesia nunquam existet.

§. 227.



§. 227.

Ecclesia cum sit libera ab imperio; maiestas
nunquam dissoluere eandem poterit. Inde quo-
que fluere, morte ciuitatis non simul mortem pati
ecclesiam, quippe singulae vniones separatim
considerari debent, nec vna ab altera depender.

T A N T V M.



12°

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Yr 1481


Vd 18

ULB Halle

005 813 751

3





Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

PRIMAE LINEAE
IVRIS ECCLESIASTIC
VNIVERSALIS

IN *Scip*
V S V M
A V D I T O R V M

A D O R N A T A E

A V T O R E

CHRISTIANO HENRICO BREVNIN
ICTO ET PROFESSORE PVBL. EXTRAORI
SOCIET. LITERAR. DVISBURG. SOCIO.

P. 347.



Br 1481

FRANCOEVRTI ET LIPSIAE.

KOENIG
UNIVERS.
ZVHALIE